


BREVIS COMMENTARIVS DE ISLANDIA: QVO SCRIPTORVM DE HAC INSVLA ERRORES DETEGuntur, & extraneorum quorundam conviciis, ac calumniis, quibus Islandis liberius insultare solent, occurritur:

per

ARNGRIMVM IONAM ISLANDVM.

johannes Georg.
Gotzovius, hunc
librum possidet
1622.



Ex donatione Georgii Johannis

Veritas temporis filia:
Lupus mendacio tempus.
Cicero:
Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.

HAFNIÆ
1593.

SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DN. CHRISTIANO IIII. DANIÆ, *Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumq; Regi electo: Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ Duci: Comiti in Oldenburg & Delmenhorst. Domino suo clementissimo.*

P*Ræclaram sanè apud Historicos meretur laudẽ, Sereniß. Princeps, Anchuri illius* Midæ *regis filii ausus plusquã humanus, & in patriam pietas, ferè exemplo carens, quòd ad occludendũ ingentẽ circa Celænã Phrygiæ oppidum, terræ hiatum, quotidie homines haud exiguo numero, et quicquid in propinquo erat, absorbentem, sese ultrò obtulerit. Cum enim ab oraculo Mi-*

das pater accepisset, non prius conclusum iri istam voraginem, quam res eò preciosissimæ immitterentur: Anchurus existimans, nihil esse animà præciosius, sese vivum in illud profundissimum chasma, præcipitem dedit: idq; tanto animi cum fervore, ut neq; parentis desiderio, neq; dulcissimæ conjugis amplexu vel lachrymis, ab isto proposito se retrahi passus sit.

Nec inferiorem multò consecuti sunt gloriam, Sperthius & Bulis, Lacedæmonii, qui ad avertendam potentissimi Regis Persarum Xerxis, ob occisos à Lacedæmoiis, Darii patris legatos, ultionem, ad Regem profecti sunt, & ut legatorum necem, in se, non in patrià ulcisceretur, erectis & constantibus animis sese obtulerunt.

Quæ verò res, Serenissime Princeps, illos ac alios complures movit, ut patriæ flagrantes amore, nullum pro eà periculum,

lum, nullas molestias, imò ne mortem ipsam recusarint, ea profectò me quoq; impulit, non quidem, ut quemadmodum illi, mortẽ sponte oppeterem, aut me mactandum ultrò offerrem, sed tamen, ut id quod solum possem, in gratiam patriæ tentarem: Hoc est: ut scriptorum de ea errores colligerem & rumusculos vanos refellerem: Ac ita rem profectò periculosam, & multorum forsan sinistro obnoxiam judicio, aggrederer.

In eo proposito, me etiam Cn. Pompeii exemplum confirmavit: Quem rei frumentariæ apud Romanos procuratorem, cum in summâ Vrbis annonæ caritate, in Siciliâ, Sardaniâ & Africâ frumentum collegisset, majorem patriæ, quàm sui, tradunt rationem habuisse. Cum enim Romam versus properaret, et ingenti ac periculosâ obortâ tempestate, Naucleros trepidare, nec se ventorum aut maris sævitiæ committere velle animadverteret,

ipse navim primus ingressus, anchoras tolli jussit, in hæc verba exclamans: Vt navigemus urget necessitas: ut vivamus, non urget. *Quibus vir prudentissimus innuisse videtur, patriæ periclitantis majorē habendam rationem, quàm privatæ incolumitatis.*

Hunc ego sic imitor,

(Si parva licet componere magnis, & muscam Elephanto conferre) ut collectis ac comportatis iis, quibus ad succurrendum gentis nostræ nomini ac famæ, apud extraneos, ex malevolorum quorundam invidiâ, jam diu laboranti uterer; paucula hæc in lucem emittere, meq́ pelago huic quantumvis turbulento committere, lintea ventis tradere, cumq́ illo exclamare non dubitem: Vt scribamus, urget necessitas: Vt verò scriptum nostrum, cujusvis delicato palato, ubiq́ satisfaciat, aut omnem Momi proterviam effugiat, non urget. *Institutum meum complures probaturos*

spero:

spero: successum forsan non itidem omnes probabunt. Nihilominus tamen majorem habendam ratione͂ patriæ, multorum hactenus opprobria et contumelias sustinentis, quàm siue laudis, siue vituperationis, ad me ipsum hinc forsan rediture, existimabam. Quid enim causæ esse potest, cur nonullorum odium & invidentiam, cum hoc patriæ, benefaciendi seu gratificandi studio fortè conjunctam, recusem?

Quodsi scriptorum errores liberius notare, si quorundam calumnias durius perstringere videbor, eos tamen æquos me habiturum censores confido, qui paulò diligentius animadvertere volent, quã parùm tolerabiles sint scriptorum de nostrà gente errores: quot etiam & quàm graves, quorundam in nos calumniæ quibus natione͂ nostram variis modis lacessivere, et etiamnũ lacessere, non desistunt. Dandum etiam aliquid omnibus congenito soli natalis amori, est; Dandum justo,

 ob

ob hanc patriæ illatam injuriam, dolori. Et ego quidem, quantũ fieri potuit, ubiq; mihi temperavi, ac à conviciis abſtinere volui: quòd ſi quid videatur mollius dicendum fuiſſe, id prædictà ratione, veniam ſpero merebitur.

Cum igitur hæc mihi ſubeunda ſit alea, quod omnibus, ſcriptum aliquod edituris, in more poſitum animadverto, id mihi hoc tempore ſolicitè curandũ eſt: Nempè ut patronum & mecœnatem aliquem, huic meo commentariolo quæram, ſub cujus nomine & numine, tutius in vulgi manus exeat.

Eam igitur ad rem, nihil poterit contingere optatius, veſtra, clementiſſime Princeps, Sereniſſ. Majeſtate: Etenim nos ei, qui vitam & fortunas noſtras, in ſuam poteſtatem & tutelam accepit, ei inquam, nomen quoq; gentis noſtræ, innocenter contaminatum, curæ ut ſit, ſupplices rogamus.

Imò

Imò verò, Rex clementiss. non solùm ad hanc rem, S. Majestatis V. clemens implorare auxilium, necessum habemus; Sed ad multa quoq; alia, quæ in nostrà patrià desiderantur, aut quæ alioqui ad hujus utilitatem & salutem communem spectant: quæq; non per me, sed per summorum nostræ gentis virorum libellos supplices hoc tempore exponuntur, aut certè brevi exponentur. Nihil enim dubitamus quin S. V. Majestas, Christianissimorum majorum exemplo, etiam nostram patriam, inter reliquas imperii sui Insulas, suà curà & protectione regià dignari velit. Nam quæ nostra est, ad S. Majestatem V. confugiendi necessitas, ea est S. Majestatis V. in nobis sublevandis, curandis & protegandis, gloria: Et ob nutritam extremi ferè orbis Arctöi Ecclesiam, in remotissimis M. V. imperii finibus, quæ tranquillitatem & tuta singulari DEI beneficio

neficio halcyonia habet, præmium, ac reposita in cælis inmarcessibilis vitæ æternæ corona.

Cæterum cùm illa hujus loci non sint, id quod mei est propositi subjungo: & à S. Majestate V. eà, quà par est, animi submissione peto, ut huic meæ opellæ & studio in patriam collato, favere, & patroni benigni esse loco, clementer dignetur.

Quod superest, Serenissime Princeps, Domine clementissime, Majestatem V. sapientiæ & prudentiæ, omniumq; adeò virtutum heröicarum, indies incrementa sumentem, ad summum imperii fastigium, summus ille Regnorum, omniumq; adeò rerum humanarum dispensator, D E V S opt. max. evehat: Evectam, omni rerum felicissimo successu continuè beet: Beatamq; hoc modo, ut summum horum regnorum ornamentum, columen, præsidium, Ecclesiæ clypeum

peum & munimen, quàm diutiſſimè conſervet: Ac tandem in alterà vità, in ſolidò Regni cæleſtis gaudio, cum præcipuis Eccleſiæ Dei nutritiis, ſideris inſtar, illuſtrem fulgere faciat. Faxit etiam idem Pater clementiſſimus, ut hæc vota, quantò ſæpius, in ampliſſimorum Majeſtatis V. Regnorum & Inſularum quovis angulo, quotidiè repetuntur ac ingeminantur, tantò rata magis & certiora maneant. Amen. Haffniæ 1593. *Menſe Mart.*

S. M. V.

humiliter ſubjectus:

Arngrimus Jonas Iſlandus.

BENIG-

BENIGNO ET PIO
Lectori Salutem.

IN lucem exiit circa annum Christi 1561. Hamburgi, fætus valde deformis, patre quodã Germanico propolâ: Rhythmi videlicet Germanici, omnium qui unquam leguntur spurcissimi et mendacissimi in gentem Islandicam. Nec sufficiebat sordido Typographo, sordidum illum fætum semel emisisse, nisi tertiùm etiam aut quartùm publicasset, quò videlicet magis innocenti genti apud Germanos & Danos, aliosq́ꝫ vicinos populos summam & nunquam delendam ignominiam, quantum in ipso fuit, inureret. Tantum typographi hujus odium fuit, & ex re illicitâ lucri aviditas. Et hoc in illâ civitate, quæ plurimos annos commercia sua, magno suorum cum lucro in Islandiâ exercuit, impunè fecit. Ioachimus Leo nomen illi est, dignus certè qui Leones pascat.

Reperiuntur præterea multi alii scriptores, qui cum miracula naturæ,

quæ in hac Insulâ creduntur esse plurima, & gentis Islandicæ mores ac instituta describere se velle putant, à re ipsa & veritate prorsus aberrarunt, nautarum fabulas, plusquam aniles, et vulgi opiniones vanissimas secuti. Hi scriptores etsi non tàm spurca & probrosa reliquerunt, quàm sordidus iste rhythmista: multa tamen sunt in illorum scriptis, quæ illos excusare non possunt, aut prorsus liberare, quominus innocentem gentem suis scriptis deridendam aliis exposuerint. Hæc animadvertens, legens, expendens, subinde novis, qui Islandorum nomen & æstimationem læderent, scriptoribus ortis, alienorum laborum suffuratoribus impudicis, qui etiam non desinunt gentem nostram novis conspurcare mendaciis, lectoresq; nova monstrorum enumeratione & descriptionibus fictis deludere, sæpe optabam esse aliquem, qui ad errata Historicorum, & aliorum iniquorum censorum responderet, quiq; aliquo scripto innocentem gentem à tot conviciis si non liberaret, certè aliquo modo apud pios & candidos

dos lectores defenderet. Quare hoc tempore author eram honesto studioso, Arngrimo Ionæ F. ut revolutis scriptorum monimentis, qui de Islandiâ aliquid scripserunt, errores & mendacia solidis rationibus detegeret. Ille etsi primò reluctabatur, vicit tamen demum admonitio, amorq; communis patriæ, ita ut hunc qualemcunq; commentariolum conscriberet, non ex vanis vulgi fabulis, sed & ex suâ & multorũ fide dignorum experientiâ, comprobationibus sumptis.

Ille verò, qui hanc rem meo est aggressus instinctu, vicissim à me suo quasi jure flagitabat, ut in has pagellas, vel tribus saltem verbis præfarer: existimans aliquid fidei vel authoritatis opusculo inde conciliatum iri. Quare ut mentem breviter exponam: Ego quidem & honestam & necessariam quoq; operam navasse eum judico, qui non modò scriptorum varias sententias de rebus ignotis perpendere, & invicem conferre, nec non ad veritatis & experientiæ censuram exigere: Sed etiam patriam à venenatis quorundã syco-

ſycophantarum morſibus vindicare conatus ſit. Æquum eſt igitur, Lector optime, ut quicquid hoc eſt opuſculi, velut ſanctiſsimo veritatis & patriæ amore adverſus Zoilorum protervi am munitum & muniendum, excipias. Vale.

Gudbrandus Thorlacius.
Epiſcopus Holenſis
in Islandiâ.
Anno 1592. Iul. 29.

Authoris ad Lectorem.

IMbute Lector ſuavis arte Palladis,
Lector benigne, humane, multùm candide,
Qui cuncta ſcis collis ſacri myſteria:
Has videris ſi fortè quando paginas
Non lectione ſiq; dedignabere,
Fac, nos tuo candori ut hæc committimus
Et æquitati, fronte ſic non tetricâ
Vultu legas nec iſta quando turbido:
Cõmunis unquã ſortis haud ſcis immemor
Infirmitas quam noſtra nobis contulit:
Obnoxius nam non quis eſt mortalium

Erro-

Erroribus næ vísq; semper plurimis?
Quod si diu multumq; cogita veris,
Nostris eris conatibus paulò æquior,
Tuis & isto ritè pacto consules:
Candore nam quo nostra tractans utere,
En te legentes rursus utentur pari:
Sic ipse semper alteri quæ feceris,
Æqualitatis lege & hæc fient tibi.
De gente multis prædicata Islandicâ,
Authoribus quamvis probata maximis,
Nostro perîclo hucusq; vulgò credita,
Licere nobis credimus refellere:
Non ut notam scriptorũ inuram nomini,
Nostrum sed à notâ probrosâ vindicem:
Hoc institutum jusq; fasq; comprobant:
Hoc nostra consuetudo lexq; comprobant:
Hoc digna lectu exẽpla deniq; cõprobant.
Ergò fave: nostris fave conatibus,
Sis mitis indulgens & æquus arbiter,
O Lector arte imbute suavis Palladis,
Lector benigne, amice, multùm candide,
Qui cuncta scis collis sacri mysteria.

COMMENTARII DE ISLANDIA INITIVM.



Vemadmodum in militiâ castrensi, alios nullâ æquâ ratione adductos, sed ambitione, invidiâ & avaritiâ motos, Martis castra sequi animadvertimus: Alios verò justis de causis arma sumere; ut qui vel doctrinæ cælestis propagandæ aut servandæ ergò, bella movent, vel aliquo modo lacessiti, paratam vim ac injuriam repellunt, vel saltem non lacessiti, propter obsidentem hostem, metu in armis esse coguntur: Non secus Apollini militantes: alij animo nequaquam bono, Philosophico seu verius Christiano, ad scribendum feruntur: puta, qui gloriæ cupiditate, qui livore ac odio, qui affecta-

ta ignorantia alios sugillant, ut ipsi potiores habeantur, nunc in personam, nomen ac famam alicujus, nunc in gentem totam, stylum acuentes, atq; imprudenter quasi mentiendo, insontem nationem & populos commaculantes. Alii verò contrà, animo ingenuo multa lucubrando investigant, & in lucem emittunt; ut qui scientiam Theologicam & Philosophicam scriptis mandarunt, quiq; suis vigiliis veterum monimenta nobis explicuerunt: qui, quicquid in illis obscurum, imperfectum, inordinatum animadverterunt, usu & experientia duce, illustrarunt, explerunt, ordinarunt: qui mundi Historias, bona fide, æternæ memoriæ consecrarunt: qui lingvarum cognitionem suis indefessis laboribus juverunt: deniq;, qui aliorum in se suamve gentem vel patriam, licentiosam petulantiam reprimere, calumnias refellere, & quandam

dam quaſi vim injuſtam propulſare annixi ſunt.

Et quidem ego, cui literas vix, ac ne vix quidem, videre contigit, omnium qui divinæ Palladi nomen dederunt, longè infimus (ut id ingenuè de mea tenuitate confitear) facere certè non poſſum, quin me in illorum aciem conferam, qui gentis ſuæ maculam abluere, veritatem ipſam aſſerere, & convitiantium jugum detrectare ſtuduerunt: Majora ingenio ſors denegavit: Id quoquo modo tentare compellit ipſius veritatis dignitas, et innatus amor patriæ, quam extraneos non nullos falſis rumoribus deformare, variis convitiis, magna cum voluptate proſcindere, aliisq; nationibus deridendam propinare comperimus. Quorum petulantiæ occurrere, et criminationes falſas, detectis ſimul ſcriptorum de hac Inſula erroribus, apud bonos & cor-

datos viros. (Nam vulgus sui semper simile, falsi & vani tenacissimum, non est quòd sperem me ab hac inveteratâ opinione abducere posse) diluere hoc commentariolo decrevi.

Etsi autem Islandia multos habet, ut ætate, ita ingenio & eruditione, me longè superiores, ideoq; ad hanc causam patriæ suscipiendam multò magis idoneos: Ego tamen optimi & clarissimi viri, Dn. Gudbrandi Thorlacij, Episcopi Holensis, apud Islandos, sollicitationibus motus, communi caussæ, pro viribus, nequaquam deesse volui, tum ut æquissimæ postulationi ipsius parerem, atq; amorem & studium debitum erga patriam, declararem, tum ut reliquos sympatriotas meos, in bonarum literarum scientiâ felicius versatos, atq; in rerum plurimarum cognitione ulterius progressos, ad hoc gentis nostræ patro-

cini-

cinium invitarem: Tantùm abest, ut ijs qui idem conabuntur, obstaculo esse voluerim.

Cæterum vt ad rem redeamus, quoniam illi quicunq; sunt nostræ gentis obtrectatores, testimonio scripto se uti ac niti iactitant: videndum omnino est, quidnam de Islandiâ, & quàm vera scriptores prodiderint, ut si forte isti, alijs in nos dicendi, aliquam occasionem dederint, patefactis ipsorum erroribus (nolo enim quid durius dicere) quàm meritò nos calumnientur, reliquis planum fiat. Porrò, quamvis vetustiorum quorundam scripta de hac Insulâ, ad veritatis & experientiæ normam exigere non verear: Tamen nobis eorundem alioqui sacra est memoria, reverenda dignitas, suspicienda eruditio, laudanda voluntas & in Rempub. literariam studium: Novitij verò, si qui sunt id genus scriptores, aut

verius pasquilli, cum iis longè veriora quàm scripserant, audire & nosse de Islandia licuerit, sua levitate & ingenio malè candido, nihil nisi invidiæ & calumniæ maculam lucrati esse videbuntur.

Commentarij duæ partes.

Atq; ut commentarius hic noster aliquid ordinis habeat, duo erunt propositæ orationis capita, unum de Insula: de Incolis alterum: quantum quidem de his duobus capitibus scriptores qui in nostris manibus versantur, annotatum reliquerunt: Quoniam ultra has metas vagari, vel plura quàm hæc ipsa, & quæ huc pertinere videbuntur, attingere nolo. Non enim ex professo Historicum vel Geographum, sed disputatorem tantùm agimus. Itaq; omissa longiore præfatione, partem primam, quæ est de situ, nomine, miraculis, & aliis quibusdam adjunctis Insulæ, aggrediamur.

Primæ partis tractatio.

SEC-

SECTIO PRIMA.

Insula Islandiæ, quæ per immensum à cæteris secreta, longè sita est in Oceano, vixq; à navigantibus agnoscitur. Munst. lib. 4. Cosmograph.

ETSI hæc tractare, quæ ipsam terram vel illius adjuncta sev proprietates concernunt, ad gentem vel incolas, à calumniantium morsu vindicandos, parum faciat, Tamen id nequaquam omittendum videtur: Sed de his primùm, & quidem prolixius aliquantò agendum esse, ut perspecto, quàm vera de hac re tradant illi Islandiæ scriptores, facilè inde candidus Lector, in iis quæ de Incolis scripta reliquerunt, quæq; ab illis alii, tanquã Diis prodentibus acceperunt, unde

ſua in gentem noſtram ludibria depromi ajunt, quantum fidei mereantur, judicet.

Primum igitur diſtantiam Iſlandiæ à reliquis terris non immenſam eſſe, nec tantam, quanta vulgo putatur, ſi quis Inſulæ longitudinem & latitudinem aliquo modo cognitam haberet, facilè demonſtrari poſſet. Non enim id alio, quàm iſto, cognoſci exactè poſſe modo, exiſtimârim, cum nulli dubium ſit, quàm ſemper nautarum vel rectiſſimus, ut illis videtur, curſus aberret. Quare varias autorum de ſitu Iſlandiæ ſententias ſubjungam, ut inde quivis de diſtantiâ id colligat, quod maximè veriſimile videbitur, donec fortè aliquando propriâ edoctus experientiâ, meam quoq; ſententiam, ſi non interponam, tamen adjungam.

Mun-

Munsterus Islandiam collocat sub grad: fere 68. Lat. 20. Long.

Gerardus Mercator:	352. Long.	68. Lat.
Gemma Frisius:		
Medium Islandiæ:	7. 0.	65. 30.
Hersee.	7. 40.	60. 42.
Thirtes.	5. 50.	64. 44.
Nadar.	6. 40.	57. 20.
Iacobi Ziegleri:		
Littus (Islandiæ) occident.	20.	63.
Chos promontoriũ.	22. 46.	63.
Latus orientale extenditur contra septentrionem: & finis extensionis habet.	30.	68.
Latus septentrionale contra occidentem extenditur, & finis extensionis habet.	28.	69.
Lateris occidentalis descriptio.		
Heckelfell promontorium.	25.	67.

	Long.	Lat.
Madher promontorium.	21. 20.	95. 10.
Civitates in ea mediterraneæ sunt:		
Holen Episcopalis.	28.	67. 50.
Scalholten Episcopalis.	22.	63. 30.
Reinholdus:		
Per Holen Islandiæ.		68.
Ioh: Myritius:		
Per Med: Islandiæ.		69. $\frac{1}{2}$.
Neander:		

Islandia tribus gradib. in circulum usq; Arcticum, ab æqvinoctiali excurrit, adeò ferè, ut mediam circulus ille secet, &c.

Et si qui sunt præterea, qui vel in mappis, vel alioqui suis scriptis Insulæ situm notarunt, quorum plures sententias referre, nihil attinet, cum quò plures habeas, eò magis dißidentes reperias. Ego quamvis verisimiles conjecturas habeo, cur nullæ citatæ de Islandiæ situ sententiæ assentiar, quin potius diver-

sum

ſum quippiam ab iis omnibus ſtatuam, tamen id ipſum in dubio relinquere malo, quàm quicquam non exploratum ſatis, affirmare, donec, ut dixi, fortè aliquando non conjecturam, ſed obſervationem & experientiam propriam afferre liceat.

Diſtantiam ab oſtio Albis ad portum Iſlandiæ meridionalis Batzende, quidam ſcripſerat eſſe circiter 400. milliarium: Vnde ſi longitudinis differentiam ad meridianum Hamburgenſem ſupputaveris, nullam modò poſitarum longitudinum habebit illo in loco Iſlandia. Ego ternis Hamburgenſium navigationibus docere poſſum, ſeptimo die Hamburgum ex Iſlandiâ perventum eſſe. Præterea etiam, Inſulæ quæ ab ovium multitudine Færeyjar, ſev rectius Faareyjar, dictæ ſunt, bidui navigatione, ut et littora Norvagiæ deſerta, diſtant. Quatridui verò navigatione in Grøn-

Grønlandiam habitabilem, & pari fere temporis intervallo, ad provinciam Nor*vagiæ, Stad, inter oppida Nidrosiam & Bergas, sitam, pervenitur, quemadmodum in harum Nationum vetustis codicibus reperimus.*

SECTIO SECVNDA.

Munsterus, Olaus Magnus: & reliqui &c.

In hac æstivo solstitio Sole signum Cancri transeunte, nox nulla, brumali Solstitio proinde nullus dies. Item, Vadianus. In eâ avtem Insulâ qvæ longe supra Arcticum circulum in amplissimo Oceano sita est, Islandia hodie dicta, & terris congelati maris proxima qvas Entgrønlandt vocant, menses sunt plures sine noctibus.



Vllum esse hyemali solstitio diem .1. tempus quo sol supra horizontem conspicitur in

in illo tantum Islandiæ angulo, si modò quis est, fatemur, ubi polus ad integros 67. gradus attollitur. Holis autem, quæ est sedes Episcopalis borealis Islandiæ, sita etiam in angustissima & profundissima convalle, latitudo est circiter grad. 45. 44. min. ut à Dñ. Gudbrando ejusdem loci Episcopo accepimus, & illic diem brevissimum habemus ad minimum duarum horarum, in meridionali autem Islandiâ longiorem, ut ex artificum tabulis videre est. Unde constat nec Islandiam ultra Arcticum circulum positam esse, nec menses plures, noctibus in æstivo, vel diebus in brumali solstitio, carere.

SECTIO TERTIA.

Nomen habet â glacie qvæ illi perpetuo ad Boream adhæret. Item, A latere occidentali Norvagiæ Insula, quæ Glacialis dicitur, magno circumfusa Oceano repe- Munsterus. Saxo.

reperitur, obsoletæ admodum habitationis tellus, &c. Item, Hæc est Thyle, nulli veterum non celebrata.

Nomen habet â glacie) *Tria nomina consequenter sortita est Islandia. Nam qui omnium primus ejus inventor fuisse creditur Naddocus, genere Norvagus, cum versus insulas Farenses navigaret, tempestate validâ, ad littora Islandiæ orientalis, fortè appulit: ubi cum fuisset aliquot septimanas cum sociis commoratus, animadvertit immodicam nivium copiam, montium quorundam cacumina obtegentem, atq; ideo à nive nomen Insulæ, Snelandia, indidit. Hunc secutus alter, Gardarus, famâ, quam de Islandiâ Naddocus attulerat, impulsus, Insulam quæsitum abiit, reperit, & nomen de suo nomine, Gardarsholme*

i. Gar-

.1. *Gardars Insula, imposuit. Quin & plures novam terram visendi cupido incessit: Nam & post illos duos, adhuc tertius quidam Norvagus, Floki nomen habuit, contulit se in Islandiam, illiq; à glacie, quâ viderat ipsam cingi, nomen fecit.*

Obsoletæ admodum) *Ego ex istis verbis* Saxonis, *hanc sententiam, nequaquam eruo, ut quidam, quòd inde ab initio habitatam esse Islandiam, sev, ut verbo dicam, Islandos avtochtonas esse, dicat, Cum constet vix ante annos* 718. *incoli cœptam.*

Hæc est Thyle) *Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est. Quam tamen facilè dirimi posse crediderim, si quis animadvertat, circa annum Domini* 874. *primùm fuisse inhabitatam. Nisi quis dicere velit Thulen illum Ægypti Regem, quem hoc ipsi*

*ipsi nomen dedisse putant, ad Insulam jam tum incultam & inhabitatam penetrasse. Illud verò rursus si quis neget, per me sanè licebit, ut illud sit quoddam quasi spectaculum, dum ita in contrarias scinduntur sententias. Vnus affirmat esse Islandiam: Alter quandam Insulam, ubi arbores bis in anno fructificant. Tertius unam ex Orcadibus, sive ultimam in ditione Scoti, ut Ioannes Myritius & alij, qui nomen illius referunt Thylensey, quod etiam Vergilius per suam ultimam Thylen sensisse videtur. Siquidem ultra Britannos, quo nomine Angli hodie dicti & Scoti veniunt, nullos populos statueret. Quod vel ex illo Vergilij Eclog.*1. *apparet.*

Et penitus toto divisos orbe Britannos. *Quartus unam ex Farensibus, Quintus Telemarchiam Norvagiæ. Sextus Schrichfinniam.*

Perpe-

Perpetuo adhæret.) *Illud verò: Glaciem Insulæ perpetuò, vel ut pavlò post asserit Munsterus:* Octo continuis mensibus adhærere: *nevtrum verum est. Nam ut plurimum in mense Aprili avt Majo solvitur, & occidentem versus propellitur, nec ante Ianuarium avt Februarium, sæpissimè etiam tardius redit. Quid? quòd plurimos annos numerare licet, quibus glaciem illam, hujus nationis immite flagellum, ne viderit quidem Islandia: Quod etiam hoc anno* 1592: *compertum est. Vnde constat quàm verè à Frisio scriptum sit,* navigationem ad hanc Insulam, tantùm qvadrimestrem patere, propter glaciem & frigora, qvibus intercludatur iter, *Cùm Anglicæ naves quotannis nunc in Martio, nunc in Aprili, quædam in Majo, Germanorum & Danorum, in Majo & Iunio, plerumq;*

ad nos redeant, & harum quædam non ante Augustum iterum hinc solvant. Superiore autem anno 1591: quædam navis Germanica, Cupro onusta, portum Islandiæ Vopnafiord, 14: dies circiter, in Nouembri occupavit, quibus lapsis inde feliciter solvit. Quare cum glacies Islandiæ, nec perpetuò, neq. octo mensibus adhæreat, Munsterus & Frisius manifestè falluntur.

SECTIO QVARTA.

Krantzius Munsterus.

Tam grandis Insula, ut populos multos contineat. Item, Zieglerus. Situs Insulæ extenditur inter avstrum & boream ducentorum prope Schænorum longitudine.

GRandis) *wilstenius quidam, rector Scholæ Oldenburgensis, Anno* 1591: *ad avunculum*

culum meum in Islandia occidentali, misit brevem commentarium, quem ex scriptorum rapsodiis de Islandia collegerat. Ubi sic reperimus: Islandia duplo major Siciliâ, &c. *Sicilia autem secundum Munsterum* 150. *milliaria Germanica, in ambitu habet. Nostræ verò Insulæ ambitus etsi nobis non est exactè cognitus, tamen vetus & constans opinio, & apud nostrates recepta* 144. *milliaria numerat, per duodecim videlicet promontoria Islandiæ insigniora, quæ singula* 12. *inter se milliaribus distent, aut circiter, quæ collecta prædictam summam ostendunt.*

Populos multos) *Gyssferus quidam, circa annum domini* 1090, *Episcopus* Schalholtensis *in Islandia, omnes Insulæ colonos seu rusticos, qui tantas facultates posiderent, ut regi tributum solvere tenerentur, (reliquis pauperioribus cum*

fæminis & promiscuo vulgo omissis) lustrari curavit, reperitq; in parte Insulæ orientali 700; meridionali 1000; Occidentali 1100: Aquilonari 1200: Summa 4000 colonorum tributa solventium. Iam si quis experiatur, inveniet Insulam plus dimidio fuisse inhabitatam.

SECTIO QVINTA.

Munst. Frisius Ziegler.

Insula multâ sui parte montosa est & inculta. Qva parte avtem plana est, præstat plurimùm pabulo, tam læto, ut pecus depellatur â pascuis, ne ab arvinâ suffocetur.

AD suffocationis periculum, nullo testimonio, nec nostrâ nec patrum nostrorum, vel quàm longè retrò numeráris, memoriâ confirmari potest.

SEC-

SECTIO SEXTA.

Sunt in hac Insulâ montes elati in cælum, qvorum vertices perpetuâ nive candent, radices sempiterno igne æstuant. Primus occidentem versus est, qvi vocatur Hecla, alter Crucis, tertius Helga. Item, Zieglerus. Rupes sive promontorium Hecla æstuans perpetuis ignibus. Item, Saxo. In hac itidem Insulâ mons est, qvi rupem sideream, perpetuæ flagrationis æstibus imitatus, incendia sempiterna, jugi flammarum eructatione continuat. Munst. Frisius.

Miracula Islandiæ Munsterus et Frisius narraturi, mox in vestibulo, magno suo cum incommodo impingunt. Nam quod hîc de monte Heclâ asserunt, etsi aliquam habet veritatis speciem, tamen quod idem de duobus aliis montibus per-

petuo igne æstuantibus dicunt, manifestè erroneum est. Illi enim in Islandia non extant, nec quicquam quod huic tanto scriptorum errori occasionem dederit, imaginari possumus. Facta tamen est, sed nunc demum, Anno 1581, ex monte quodam australis Islandiæ, maritimo, perpetuis nivibus & glaciè obducto, memorabilis fumi ac flammæ eruptio, magna Saxorum ac cineris copia ejecta. Cæterum ille mons longè est ab his tribus, quos authores commemorant, diversissimus. Porrò etsi hæc de montibus ignitis maximè vera narrarent, an non naturaliter ista contingerent? An ad extruendam illam, quæ mox in Munstero, Zieglero & Frisio sequitur, de orco Islandico, opinionem, aliquid faciunt? Ego sanè, nefas esse duco, his vel similibus naturæ miraculis, ad absurda asserenda abuti, vel hæc tanquam impossi-

possibilia, cum quadam impietate mirari. Quasi verò non concurrant in hujusmodi incendiis causæ ad hanc rem satis validæ. Est in horum montium radicibus materia uri aptissima, nempe sulphurea & bituminosa. Accedit aër, per poros ac cavernas in terræ viscera ingressus, ac illum maximi incendii fomitem exsufflans, unà cum nitro; qua exsufflatione, tanquam follibus quibusdam, ardentissima excitatur flamma. Habet siquidem ignis, his ita convenientibus, quæ tria ad urendum sunt necessaria, materiam scilicet, motum, & tandem penetrandi facultatem: Materiam quidem pinguem & humidam, ideoq; flammas diuturnas alentem: Motum præstat per terræ cavernas admissus aër: Penetrandi facultatem, facit ignis vis invicta, sine respiraculo esse nescien-

cientis, & incredibili conatu violenter erumpentis, atq; ita (non secus ac in cuniculis machinisve sev tormentis bellicis, globi ê ferro maximi, magno cum fragore ac strepitu, à sulphure & nitro, ê quibus pyrius pulvis conficitur, excitato, ejiciuntur) lapides et Saxa, in istâ voragine ignitâ, cev quodam camino, colliquefacta, cum immodicâ arenæ & cinerum copiâ, exspuentis & ejaculantis, idq;, ut plurimùm, non sine terræmotu: qui si secundum profunditatem terræ fiat, succussio à Possidoneo appellatus, vel hiatus erit, vel pulsus. Hiatu terra dehiscit: pulsu elevatur intumescens, & nonnunquam, ut inquit Plinius, Lib. 2. cap. 20. *moles magnas egerit: Cujusmodi terræmotus, jam mentionem fecimus, maritima Islandiæ Avstralis, Anno 1581: infestantis, quiq; à Pontano his verbis scitissimè describitur.*

Ergo

Ergo incerta ferens, raptim vestigia, anhelus
Spiritus incursat, nunc huc, nunc percitus illuc,
Exploratq; abitum insistens, & singula tentat,
Si qvâ forte qveat, victis erumpere clavstris.
Interea tremit ingentem factura ruinam
Terra, suis qvatiens latas cum mœnibus urbes:
Dissiliunt avulsa jugis, immania saxa, &c.

Hæc addere libuit, non quòd cuiquam hæc ignota esse existimemus; Sed ne nos alii ignorare credant, atq; ideo ad suas fabulas, quas hinc exstruunt, confugere velle.

Cæterum video quid etiamnum admirationem non exiguam scriptoribus moueat, in his, quos ignoranter fingunt, tribus Islandiæ montibus, videlicet cum

eorum basin semper ardere dicant, summitates tamen nunquam nive careant. Porrò id admirari, est præter autoritatem tantorum virorum, quibus Æthnæ incendium optimè notum erat, quæ, cùm secundum Plinium, hybernis temporibus nivalis sit, noctibus tamen, eodem teste, semper ardet. Quare etiam secundum illos, ille mons, cum adhuc nivium copia obducitur, & tamen ardeat, sordidarum animarum quoq; erit receptaculum: id quod Heclæ *propter nives in summo vertice & basin æstuantem, adscribere non dubitarunt. Vix autem mirum esse potest, quòd ignis montis radicibus latens, & nunquam, nisi rarissimè erumpens, excelsa montis cacumina, quæ nivibus obducuntur, non colliquefaciat. Nam* Cardanus. *& in Caira, altissima montis cacumina nivibus semper candentia esse perhibentur: & in Beregua quidem similiter, sed*

5000 *passuum in cælum elata, quæ nivibus nunquam liberentur, cum tamen partibus tantùm decem ab æquatore distent. Vtramq́ hanc provinciā juxta Pariam esse sitam accepimus. Quid? quòd illa Teneriffæ (quæ una est ex Insulis Canariis, quæ et Fortunatæ) pyramis, secundū Munsterum,* 8. *aut* 9. *milliarium Germanicorum altitudine, in aëra assurgens, atq́ instar Æthnæ jugiter conflagrans, nives, quibus media cingitur, teste Benzone Italo, Indiæ occidentalis Historico, non resolvit. Quod ipsum in nostrâ Heclâ quid est, quod magis miremur? Atq́ hæc ita breviter de incendiis montanis.*

Nunc illud quoq́ castigandum arbitramur, quod hos montes in cælum usq́ attolli scribant. Habent enim nullam præ cæteris Islandiæ montibus notabilem altitudinem: Præcipuè tertius ille, Helga à Munstero appellatus, nobis

Helga-

Helgafell. 1. *Sacer mons, apud Monasterium ejusdem nominis, nullâ sui parte tempore æstivo nivibus obductus, nec montis excelsi, sed potius collis humilis nomen meretur, nunquam, ut initio hujus sectionis dixi, de incendio suspectus. Nec verò perpetuæ nives Heclæ, vel paucis aliis adscribi debebant: Permultos enim habet ejusmodi montes nivosos Islandia, quos omnes vel toto anno, non facilè collegerit aut connumerarit, horum prædicator & admirator Cosmographus. Quin etiam id non negligendum, quod mons Hecla non occidentem versus, ut à Munstero & Zieglero annotatum est, sed inter occidentem & orientem positus sit. Nec promontorium est: sed mons ferè mediterraneus.*

Incendia perpetua jugi, &c.) *Quicunq; perpetuam flammarum eructationem, Heclæ adscripserunt, toto cœlo*

erra-

errarunt, adeò, ut quoties flammas eructârit, nostrates in annales retulerint, videlicet anno Christi 1104. 1157. 1222. 1300. 1341. 1362. & 1389. Neq; enim ab illo anno de montis incendio audire licuit, usq; ad annum 1558; quæ ultima fuit in illo monte eruptio. Interea non nego, fieri posse, quin mons infernè, latentes intus flammas & incendia alat; quæ videlicet statis intervallis, ut hactenus annotatum est, eruperint, aut etiam forte posthac erumpant.

SECTIO SEPTIMA.

Montis Heclæ flamma nec stuppam lucernarum luminibus aptissimam adurit, neq; aqvâ extinguitur: Eoq; impetu, qvo apud nos machinis bellicis, globi ejiciuntur, illinc lapides magni in aera emittuntur, ex frigoris & ignis & sulphuris commixtione. Frisius Munst.

Is

Is locus à quibusdam putatur carcer sordidarum animarum. Item, Zieglerus. Is locus est carcer sordidarum animarum.

NEc stuppam adurit.) *Vnde hæc habeant scriptores, non satis conjicitur. Hæc enim nostris hominibus prorsus ignota, nec hîc unquam, nisi prodidissent illi, audita fuissent. Nemo enim est apud nos, tam temerariæ curiositatis, ut hujus rei periculum, ardente monte, facere ausit, vel quod scire licuit, unquam ausus fuerit. Quod tamen Munsterus asserit.* Qui, inquit, naturam tanti incendii contemplari cupiunt, & ob id, ad montem propius accedunt, eos una aliqva vorago vivos absorbet, &c. *Quæ res, ut dixi, nostræ genti est ignota prorsus. Exstat tamen liber veteri Norvagorum lingvâ scriptus, in*

quo terrarum, aquarum, ignis, aëris, &c. miracula aliquot confusa reperias, pauca vera, plurima vana & falsa. Vnde facile apparet à Sophis quibusdam, si diis placet, in Papatu olim, esse conscriptum: Speculum Regale *nomen dederunt, propter vanissima mendacia, quibus totus, sed plærumq; sub religionis & pietatis prætextu (quo difficilius est fucum agnoscere) scatet, speculum minimè regale, sed* Anile & Irregulare. *In hoc speculo figmenta quædam de Heclæ incendio, his quæ nunc tractamus non multum dissimilia, habentur, nullo experimento magis quàm hæc stabilita, ideoq; explodenda.*

Cæterum ne audaculus videar, qui speculum illud Regale mendacii accusem; Nullum verò ex his quæ minus credibilia affert, recenseam; Accipe horum pauca Lector,

Lector, qui fidem minimè mereri existimarim.

I. De quadam Insula Hyberniæ; quæ templum & Parochiam habeat: Cujus incolæ decedentes, non inhumantur: sed ad aggerem seu parietem cæmiterii, vivorum instar erecti, consistunt perpetuò: Nec ulli corruptioni, nec ruinæ, obnoxii: ut posterùm quivis suos majores ibi quærere & conspicere possit.

II. De altera Hyberniæ Insula, ubi homines emori nequeant.

III. De omni terrâ & omnibus arboribus Hyberniæ, quæ omnibus omninò venenis resistant, serpentes & alia venenata, ubivis terrarum, solâ virtute & præsentiâ, etiam sine contactu, enecent.

IIII. De tertia Hyberniæ Insula: Quòd hæc dimidia Diabolorum colonia facta sit: In dimidiam verò, propter tem-

templum ibidem exſtructum, juris habeant nihil, licet & paſtore (ut tota Inſula incolis) & ſacris perpetuò careat: idq; per naturam ita eſſe.

V. *De quarta Hyberniæ Inſula, quæ in lacu quodam ſatis vaſto fluitet: cujus gramina, quibusvis morbis præſentiſsimum remedium exiſtant: Inſula verò ripam lacus ſtatis temporibus accedat, idq; ut plurimum, diebus Dominicis, ut tum quivis facilè eam veluti navim quandam, ingrediatur: id quod tamen pluribus ſimul, per fatum licere negat. Hanc vero Inſulam ſeptimo quoq; anno ripæ adnaſci tradit, ut à continente non diſcernas: In ejus autem locum, mox ſuccedere alteram, priori, naturâ, magnitudine & virtute conſimilem: quæ unde veniat, neſciri: idq; cum quodam quaſi tonitru contingere.*

VI. De venatoribus Norvegiæ, qui lignum domare (sic enim loquitur, quantumvis impropriè: cùm ligno vt non vita, ita nec domitura competat) adeò docti sint, ut asseres 8. ulnas longi, plantis pedum eorundem alligati, tanta eos celeritate, vel in excelsis montibus, promoueant, ut non modò canum venaticorum, aut caprearum cursu, sed etiam avium volatu superari nequeant: atq; unico cursu, unico etiam hastæ ictu, novem vel plures capreas feriant. Hæc & similia, de Hybernia, Norvegia, Islandia, Grønlandia, de aquæ & aëris etiam miraculis, centonum ille magister, in suum speculum collegit: Quibus, licet suis admirationem, vulgo stuporem, nobis tamen risum concitavit.

Sed Frisium audiamus. Flamma, *inquit*, Montis Heclæ nec stuppam, lucernarum luminibus aptissimam, adurit,

adurit, nec aqva extingvitur. *Atqui, inquam, ex Schola vestra Philosophica petitis rationibus hoc Paradoxon confirmari poterit. Docent enim Physici,* commune esse validioribus flammis omnibus ut siccis extingvantur, alantur verò humidis: Vnde etiam fabri, aqvâ inspersâ, ignem excitare solent. Cùm enim, ajunt, ardentior fuerit ignis, à frigido incitatur, & ab humido alitur, qvorum utrumq; aqvæ inest. Item: Aqva solet vehementes accendere ignes: Qvoniam humidum ipsum, qvod exhalat, pingvius redditur, nec â circumfuso fumo absumitur, sed totum ignis ipse depascitur, qvò purior inde factus, ac simul collectus, à frigido alacrior inde redditur. Vnde etiam ignes artificiosi, aqva minimè extingvibiles. Item: Sunt sulphure & bitumine loca abundantia, qvæ sponte ardent, qvorum flamma aqua minimè extingvitur. *Prodidit etiam Philosophus.*

Aqva ali ignem. *Arist. 3. de anim. Et Plinius lib. 2. Nat. Histor. cap. 110. Et Strabo lib. 7.* In Nymphæo exit è Petrâ flamma, qvæ aqvâ accenditur. Idem, Viret æternùm contexens fontem igneum fraxinus. *Quin & repentinos ignes in aquis existere, ut Thrasumenum lacum in agro Perusino arsisse totum, idem autor est. Et anno 1226. & 1236; non procul à promontorio Islandiæ Reykjanes, flamma ex ipso mari erupit. Etiam in corporibus humanis repentinos ignes emicuisse; ut Servio Tullio dormienti, ê capite flammam exsiluisse: Et L: Martium, in Hispaniâ, interfectis Scipionibus, concionem seu orationem ad milites habentem, atq; ad ultionem exhortantem, conflagrasse, Valerius Antias narrat. Meminit etiam Plinius flammæ montanæ, quæ ut aquâ accendatur, ita terrâ aut fæno extin-*

extingvatur. Item, Alterius campestris, quæ frondem densi supra se nemoris non adurat. Quæ cum ita sint, mirum, homines id in solâ Heclâ mirari (ponam enim jam ita esse, cum non sit tamen, quòd à quoquam scire potuerim) quod multis aliarum terrarum partibus seu locis, tam montanis, quàm campestribus, cum eâ commune esset.

Eo impetu quo apud nos globi.) *Sic etiam Munsterus.* Mons ipse cum furit, inqvit, horribilia tonitrua insonat, projicit ingentia Saxa, sulphur evomit, cineribus egestis, tam longè terram circumcirca operit, ut ad vicesimum lapidem coli non possit, &c. *Cæterum oportuit potius cum Æthnâ, aut aliis montibus flammivomis, quos mox recitabo, comparasse, cum non deesset, non modò simile, sed prope idem: Nisi fortè quòd incendia rarius ex Heclâ erumpant, quàm aliis id genus mon-*

tibus. Nam proximis 34. annis prorsus quievit, facta videlicet ultima eruptione, Anno 1558. ut superius annotavimus. Et nihil tam magnificè dici potest de nostra Hecla, quin idem, vel majus cæteris montibus flammivomis competat, ut mox apparebit. Quòd verò sulphur ejaculetur, manifestum est commentum, nullo experimento apud nostrates cognitum.

Is locus est carcer sordidarum animarum.) *Hîc præfandum esse mihi video, atq; veniam à Lectore petendam, quòd, cum initio proposuerim, de terra & incolis divisim agere, in hac prima parte tamen, quæ sunt meritò, secundæ partis, miscere cogar. Evenit hoc scriptorum culpa, qui Insulæ situi ac miraculis, religionis incolarum particulam hanc, de opinione infernalis carceris, confuderunt. Quare etiam ut hunc locum*

cum attingamus, quis non miretur isthoc commentum ab homine cordato in Historia positum esse? Quis non miretur, viros sapientes eò perduci, ut hæc vulgi deliramenta auscultent, nedum sequantur? Vulgus enim extraneorum & hominum colluvies nautica, (Hîc enim saniores omnes, tam inter nautas quam reliquos, excipio,) de hoc insolito naturæ miraculo audiens, ingenito stupore ad istam, de carcere animarum, imaginationem fertur: Siquidem incendio nullam substerni materiam videt, quemadmodum in domesticis focis fieri consuevit. Atq; hac persuasione vulgi, fama inolevit, dum (ut ad maledicta optimè assuefactum est,) unus alteri hujus montis incendium imprecatur. Quasi verò ignis elementaris & materiatus ac visibilis, animas, .i. substantias spirituales comburat. Quis deniq;

non miretur, cur eundem carcerem damnatorum, non in Æthnâ etiam, nihilominus ignibus ac incendiis celebri, confingant? At confinxit, dices, Gregorius Pontifex. Purgatorium igitur est. Sit sanè: Eadem igitur hujus carceris veritas, quæ & purgatorii. Sed priusquam longius procedamus, libet hîc referre fabulam perlepidam, hujus opinionis infernalis originem & fundamentum: Nempe cuidam extraneorum navi, Islandiam relinquenti, & turgidis velis, citissimo cursu, iter suum rectà legenti, factam obviam alteram, similiter impigro cursu, sed contra vim tempestatum, velis & remis nitentem, cujus præfectus rogatus, quinam essent? Respondisse fertur: De Bischop van Bremen. *Iterum rogatus quo tenderent? ait.* Thom Heckelfeldt tho/Thom Heckelfeldt tho. *Hæc videns Lector, vereor, ne pelvim*

postulet dari: Est enim mendacium adeo detestandum, ut facilè nauseam pariat. Abeat igitur ad Cynosarges & ranas palustres, illud enim ejusdem facimus, atq; illarum coax, coax. Nec verò dignum est hoc commentum, quod rideatur, nedum refutetur. Sed nolo cum insanis Papistis nugari: Quin potius ad scriptores nostros convertamur.

Atq; inprimis nequeo hîc, clarissimi viri, D. Casparis Peuceri, illud praeterire. Est in Islandiâ, *inquit*, mons Hecla, qvi immanis barathri, vel inferni potius profunditate terribilis, ejulantium miserabili & lamentabili ploratu personat, ut voces plorantium circumqvaq;, ad intervallum magni milliaris, audiantur. Circumvolitant hunc corvorum & vulturum nigerrima agmina, qvæ nidulari ibidem ab incolis existimantur. Vulgus incolarum descensum esse per voraginem illam ad inferos pervasum habet: In-

de cum prælia committuntur alibi, in qvacunque parte orbis terrarum, aut cædes fiunt cruentæ, commoveri horrendos circumcirca tumultus, & excitari clamores, atque ejulatus ingentes longâ experientiâ didicerunt. *Quis verò rem tam incredibilem ad te vir doctissime perferre ausus fuit? Nec enim vultures habet Islandia, sed genus aquilarum secundum, quod ab albicante caudâ Plinius notavit, & Pygarsum appellavit. Nec ulli sunt hujus spectaculi, apud nos testes: Nec deniq; ibidem corvos aut aquilas nidificare probabile est, quæ, igni & fumo semper inimicissimo, potius à focis vel incendiis arceantur. Et nihilominus in hujus rei testimonium,* (ut & exavditi per voraginem montis tumultus extranei,) *experientiam incolarum allegant, quæ certè contraria omnia testatur. Unde verò foramen vel fenestra illa montana,*

tana, per quam clamores, strepitus & tumultus apud antipodes, periæcos & antæcos factos exaudiremus? De quâ re multa essent quæ autorem istius mendacii interrogatum haberem, modò quid de illo nobis constaret: qui utinam veriora narrare discat, nec tam perfrictâ fronte similia, incomperta, atq; adeò incredibilia, clarissimo viro Peucero, aut aliis referre præsumat.

Ast verò Munsterus cum incendii tanti & tam incredibilis caussas, in famosissimâ Æthna investigare conatus sit, quam rem illic naturalem facit, hîc verò præternaturalem, imò infernalem faciat, annon monstri simile est? Cæterùm de Æthnâ quid dico? Quin potius videamus quid de Heclæ incendio aliâs sentiat Munsterus.

Dubi-

Munsterus Cosmograph. vniuersal. lib. 1. cap. 7.

Dubium non eſt, *inquit*, montes olim & campos arſiſſe in orbe terrarum: Et noſtra qvidem ætate ardent. Verbi gratia: In Islandia mons Hecla ſtatis temporibus foras projicit ingentia Saxa, evomit ſulphur, ſpargit cineres, tam longè circumcirca, ut terra ad viceſimum lapidem coli non poſſit. Vbi avtem montium incendia perpetua ſunt, intelligimus nullam eſſe obſtructionem meatuum, per qvos modò, qvaſi fluvium qvendam, ignes, modò flammas, nunc verò fumum tantùm evomunt. Sin per temporum intervalla increſcunt, internis meatibus obturatis, ejus viſcera nihilominus ardent. Superioris autem partis incendia, propter fomitis inopiam, non nihil remittunt ad tempus. Aſt ubi ſpiritus vehementior, rurſus recluſis meatibus iiſdem vel aliis, ex carcere magnâ vi erumpit, cineres, arenam, ſulphur, pumices, maſſas, qvæ habent ſpeciem ferri, Saxa, aliaſq; materias foras projicit, plærunq; non ſine

ne detrimento regionis adjacentis. *Hæc Munsterus. Vbi videas quæso Lector, quomodo suo se jugulet gladio, videas inquam hîc eandem de incendio Heclæ & Æthnæ opinionem & sententiam, quæ tamen lib. 4. ejusdem, admodum est dispar, ut illic ad causas infernales confugiat.*

Habet profectò Indiæ occidentalis mons quidam flammivomus, æquiores multò, quàm hic noster, censores & historicos, minimè illic barathrum exædificantes: Cujus historiam, quia & brevis est, & non illepida, subjiciam, à Hieronimo Benzone Italo in Historiar: novi orbis, lib. 2. his verbis descriptam.

Triginta quinq; *inquit*, milliarium intervallo abest Legione mons flammivomus, qui per ingentem craterem tantos sæpe flammarum globos eructat, ut noctu latissimè ultra 100000. passuum incendia reluceant.

Non-

Nonnullis fuit opinio, intus liqvefactum aurum esse, perpetuam ignibus materiam. Itaq; Dominicanus quidam monachus, cum ejus rei periculum facere vellet, ahenum & catenam ferream fabricari curat, moxq; in montis jugum cum quatuor aliis Hispanis ascendens, catenam cum aheno ad centum quadraginta ulnas in caminum demittit; Ibi ignis fervore, ahenum cum parte catenæ liquefactum est. Monachus non leviter iratus, Legionem recurrit, fabrum incusat, qvòd catenam tenuiorem multò, quàm jussisset ipse, esset fabricatus. Faber aliam multo crassiorem excudit. Monachus montem repetit: Catenam & lebetem demittit. Res priori incæpto similem exitum habuit. Nec tantùm resolutus lebes evanuit, verum etiam flammæ globus repentè é profundo exsiliens, propemodum & Fratrem & socios absumpsit. Omnes quidem adeo perculsi in urbem reversi sunt, ut de eo incæpto exequendo, nunqvam deinceps cogitarent, &c.

O quam censura dispar. In montano Indiæ occidentalis camino aurum: Islandiæ verò, infernum quærunt. Sed hoc ut nimis recens, ac veteribus ignotum fortasse rejicient: Cur igitur eundem, quem in Hecla Islandiæ, animarum carcerem, in Chimæra, Lyciæ monte, cujus noctu diuq́, flamma immortalis perhibetur, non sunt imaginati scriptores? Cur non in Ephesi montibus, quos tæda flammante tactos, tantum ignis concipere accepimus, ut lapides quoq́ & arenæ in ipsis aquis ardeant, & ex quibus accenso baculo, si quis sulcum traxerit, rivos ignium sequi, narratur à Plinio? Cur non in Cophantro Bactrorum monte, noctu semper conflagrante? Cur non in Hiera Insula, in medio mari ardente? Cur non in Æolia, similiter in ipso mari olim dies aliquot accensa? Cur non in Babyloniorum campo, interdiu flagran-

grante? Cur non in Æthiopum campis, Stellarum modo, noctu semper nitentibus? Cur non in illo Liparæ tumulo, ampla & profunda voragine hiante, teste Aristotele, ad quem non tutò noctu accedatur: ex quo Cymbalorum sonitus, crotalorum boatus, cum insolitis & inconditis cachinnis exaudiantur? Cur non in Neapolitanorum agro ad Puteolos? Cur non in illa, superius commemorata, Teneriffæ pyramide montana, instar Æthnæ, jugiter ardente, & lapides, ut ex Munstero videre est, in aëra exspuente? Cur non in illo Æthiopum jugo, quod Plinius testatur, horum omnium maximo aduri incendio? Cur non deniq; in Vesuvio monte, non sine insigni viciniæ clade, & C. Plinii exitiali detrimento, dum insueti incendii causas perscrutaturus venit, nubium tenus flammas cum saxis evomente, pumicum & cinerum ineffa-

ineffabili copiâ, aëra replente, & solem meridianum per totam viciniam densissimis tenebris intercipiente? Dicam, & dicam quod res est: Quia scilicet illis, utpote notioribus, fidem, etsi inferni esse incendia finxissent, minimè adhiberi prævidebant: Heclæ verò æstum, cujus rumor tardius ad eorum aures pervenit, huic commento vanissimo stabiliendo, magis inservire putabant. Sed *faceßite: Deprǣhensa fraus est: Desinite posthac illam de inferno Heklensi opinionem cuiquam velle persuadere. Docuit enim, & nos, & alios, vobis invitis, consimilibus incendiis, operationes suas* Natura, *non Infernus. Sed videamus jam plura ejusdem farinæ vulgi mendacia, quæ Historicis & Cosmographis nostris adeò malè imposuerunt.*

SECTIO OCTAVA.

Frisius Ziegleрus, Olaus Magn.

Iuxta hos montes *(tres prædictos Heclam, &c.)* Sunt tres hiatus immanes, quorum altitudinem apud montem Heclam potissimum, ne Lynceus quidem perspicere queat: Sed apparent, ipsum inspicientibus, homines primùm submersi, adhuc spiritum exhalantes, qvi amicis suis, ut ad propria redeant, hortantibus, magnis suspiriis se ad montem Heclam proficisci debere respondent: Sicq; subitò evanescunt.

AD confirmandum superius mendacium de Inferno terrestri ac visibili, commentum hoc, non minus calumniosum (etsi facilè largiar, Frisium non tam calumniandi, quàm nova & inaudita prædicandi animo, ista scripsisse) quàm

quàm falsum, ac gerris siculis longè vanius ac detestabilius, excogitarunt homines ignavi, nec cælum nec infernum scientes. Quos scriptores isti, viri alioqui præclarissimi & optimè de Repub. literariâ meriti, nimium præpropero judicio secuti sunt.

Cæterum optandum esset, nullos tanto novitatis studio Historias scribere, ut non vereantur aniles quasvis nugas iis inserere, atq; ita aurum purum cæno aspergere. Qui verò demum sunt homines illi submersi, in lacu infernali natitantes, & nihilominus cum notis & amicis confabulantes? Anne nobis veterem Orphea, cum suâ Evridice, in Stygias relabente undas, colloquentem, & in his extremi orbis partibus, tanquam ad Tanaim Hebrumq; nivalem, cantus exercentem lyricos, redivivum dabitis? Certè, etsi nolint

alii, futilem hujusmodi ineptiarum levitatem ac mendacium agnoscere, agnovit tamen, rerum omnium haud negligens æstimator Cardanus, lib.18. subtil. cujus hæc sunt verba.

Est Hecla mons in Islandiâ, ardetq; non aliter ac Æthna in Siciliâ per intervalla, ideoq; persvasione longâ (vulgi) conceptâ, qvod ibi expientur animæ; Alii, ne vani sint, affingunt inania fabulæ, ut consona videantur. Quæ sunt avtem illa inania? Qvòd spectra comminiscuntur, se ad montem Heclam ire respondentia, ait idem. Et addit. Nec in Islandiâ solum, sed ubiq;, licet rarò, talia contingunt: *Subditq; de larvâ homicidâ Historiam, quæ sic habet.* Efferebatur, inqvit, anno præterito, funus viri plebeji Mediolani orientali, in portâ juxta templum majus foro venali, qvod à caulium frequentiâ, nomen caulis nostrâ linguâ sonat. Occurrit mihi notus:

tus: Peto, ut medicorum moris est, quo morbo excesserit? Respondet ille: consuesse hunc virum horâ noctis tertia à labore redire domum: Vidit lemurem nocte quadam insequentem: Quam cum effugere conaretur, ocyus citato pede abibat: Sed à spectro captus atq; in terram projectus videbatur. Exclamare nitebatur: Non poterat. Tandem, cum diu in terra cum larvâ volutatus esset, inventus à prætereuntibus quibusdam, semivivus domum relatus, cum resipuisset, interrogatus, hæc quæ minus expectabantur, retulit. Ob id animam despondens, cum nec ab amicis, nec medicis, nec sacerdotibus persuaderi potuisset, inania esse hæc, octo inde diebus periit. Audivi postmodum & ab aliis, qui vicini essent illi, neminem, ab inimico vulneratum, tam constanter de illo testatum, ut hic, quòd à mortuo fuisset in terram provolutus. Cum quidam quærerent, quid ille, postquam in terram volutaretur, age-

ret? Conatum,inquit,mortuum, adhibitis gulæ manibus, ut eum ſtrangularet: Nec obſtitiſſe quicquam, niſi quòd ſe ipſum tueretur manibus. Cum alii dubitarent, ne forte hæc à vivo paſſus eſſet, interrogarentq́ue, in quo mortuum à vivo ſecernere potuiſſet? Cauſſam reddidit ſatis probabilem, dicens ſe tanquam cottum attrectaſſe,nec pondus habuiſſe,niſi ut premebatur. *Et paulò poſt addit.* Eadem verò ratione, qua in Iſlandia, in arenæ ſolitudinibus Ægypti & Æthyopiæ, Indiæq́ue, ubi Sol ardet, eædem imagines, eadem ſpectra, viatores ludificare ſolent. *Hactenus Cardanus. Inde tamen nemo concluſerit, ſicut de Iſlandiâ ſcriptores noſtri faciunt,in illis Ægypti & Æthiopiæ, Indiæq́ue locis,carcerem exiſtere damnatorum.*

Hæc ex Cardano adſcribere libuit, ut etiam extraneorum teſtimonia pro nobis, contra figmenta tanta afferamus.

Con-

Convincit autem præsens Cardani locus hæc duo, scilicet: nec esse Islandiæ proprias spectrorum apparitiones: (quod etiam omnes norunt, nisi ejus rei ignorantiam nimis affectent,) nec illud mortuorũ cum vivis, in hiatu Heclensi, colloquium, nisi ementitis hominum fabulis, quavis ampullâ vanioribus, niti, quibus belvæ vulgares, ad confirmandã de animarum cruciatibus opinionem, usæ fuerant. Et quisquam est, qui illis scriptorũ hiatibus, mortuorum miraculis ad summum usq; refertis, adduci potest ut credat? Quisquam, qui vanitatẽ tantam non contemnat? Certè. Nam & hinc convicia in gentem nostram rectè sumi ajunt: Nihil scilicet hac projectius ac deterius esse usquã, quæ intra limites Orcum habeat. Scilicet *hoc cõmodi nobis peperit* Historicorũ, *ad res novas divulgandas, aviditas. Verum illa è vulgi dementiâ nata opinio, ut stulta*

ac inanis, & in opprobrium nostræ gentis conficta, hactenus ut spero satis labefactata est. Quare jam perge Lector, ulterius hanc de secretis infernalibus Philosophiam cognoscere.

SECTIO NONA.

Frisius & Munst. Circum verò Insulam, per septem aut octo menses fluctuat glacies, miserabilem quendam gemitum, & ab humana voce non alienum, ex collisione edens. Putant incolæ, & in monte Hecla, & in glacie, loca esse, in quibus animæ suorum crucientur.



Gregium scilicet Historiæ augmentum, de Orco Islandico in unius montis basin, haud sanè vastam, coacto: Et interdum (statis forsan temporibus) loca commutante: Ubi scilicet domi in foco

foco montano delitescere piget, & exire, pelagusq́, sed sine rate, tentare juvat, seseq́ in glaciei frustella colligere. Audite porrò huius secreti admiratores: En porrigam Historicis aliud Historiæ auctarium, nequaquam contemnendum. Scribant igitur, quotquot his scriptorum commentis adhærent, Islandos non solùm infernum intra limites habere, sed et scientes volentes ingredi, atq́ intactos eodem die egredi. Quid ita? Quia pervetus est Insulæ consuetudo, ut maritimi in hanc glaciem, ab Historicis infernalem factam, manè, phocas, seu vitulos marinos captum, eant, ac vesperi in columes redeant. Addite etiam, in scriniis & aliis vasis ab Islandis carcerem damnatorum asservari, ut paulò post ex Frisio audiemus.

Sed maturè prævidendum erit vobis, ne Islandi fortitudinis & constantiæ

laudem vestris nationibus praeripiant: Quippe qui tormenta (ut historicis vestris placet) barathri sustinuisse & velint & possint, illaq; sine ullo graviore damno perrumpere atq; effugere valeant, quod quidem ipsum ex jam dictis efficitur: Et multos nostratium enumerare possum, qui in ipso venationis actu longiusculè à littore digressi, glacie à Zephyris dissipatâ, multa milliaria, glaciei insidentes, tempestatis violentiâ profligati, & aliquot dies ac noctes continuas crudelissimi pelagi fluctibus jactati, sicq; (id enim, inquam, ex praesenti Historicorum problemate consequitur,) tormenta & cruciatus barathri glacialis experti sunt: Qui tandem mutata tempestate, atq; à Borea spirantibus ventis, ad littora, cum hoc suo glaciali navigio, rursus adacti, incolumes domum pervenerunt: Quorum aliqui etiam hodie vivunt.

vunt. Quare hoc novitatis avidi arripiant, indeq́; , si placet, justum volumen conficiant, atq́; ad Historiam suam apponant. Nec enim vanissima illa commenta aliter, quam ejusmodi jocularibus excipienda & confundenda videntur. Cæterum, joco seposito, unde digressi sumus, revertamur.

Primùm igitur ex sectione secunda satis constat, glaciem, neq; septem, neq; octo mensibus, circa ipsam Insulam fluitare: Deinde etiam, glaciem hanc, etsi interdum ex collisione grandes sonitus & fragores edit, interdum, propter undarum alluvionē, raucum murmur personat, quicquam tamen, humanæ voci simile, resonare aut ejulare, minimè fatemur.

Quòd autem dicunt, nos & in glacie, & in monte Heclâ loca statuere, in qvibus animæ nostrorum crucientur, *Id verò seriò pernegamus,*

gamus, Deoq́ ac Domino nostro IESu Christo, qui nos à morte & inferno eripuit, & regni cælestis januam nobis reseravit, gratias ex animo agimus, quòd nos de loco, in quem animæ nostrorum defunctorum commigrent, rectius, quàm dicunt isti Historici, instituerit. Scimus & tenemus animas piorum non in Purgatorium Pontificiorum, aut campos Elysios, sed in sinum Abrahæ, in manum DEI, in Paradysum cælestem, mox ê corporis ergastulo, transferri. Scimus & tenemus de impiorum animabus, non in montanos focos & cineres, vel glaciem nostris oculis expositam, deflectere, sed in extremas mox abripi tenebras, ubi est fletus & stridor dentium, ubi est frigus, ubi est ignis ille, non vulgaris, sed extra nostram scientiam & subtilem disputationem positus. Vbi non modò corpora, sed animæ etiam .1. substantiæ

spiri-

ſpirituales, cruciantur. Huic extremo & tenebricoſo carceri non Iſlandos viciniores quàm Germanos, Danos, Gallos, Italos, aut quamvis aliam gentem, quoad loci ſitum, ſtatuimus. Nec, de hujus carceris loco ſitúve quicquam diſputare, attinet: Sufficit nobis abundè, quòd illius tenebricoſum fœtorem & reliqua tormenta, dante & juvante Domino noſtro IESV Chriſto, cujus precioſo ſanguine redempti ſumus, nunquam ſimus viſuri aut ſenſuri. Atq; hîc de orco Iſlandico diſputationis colophon eſto.

SECTIO DECIMA.

Quòd ſi quis ex hac glacie magnam partem cæperit, eamq; vaſi aut ſcrinio incluſam, quàm diligentiſſimè aſſervarit, illa tempore glaciei, quæ circum Inſulam eſt, degelantis, evaneſcit, ut neq; minima ejus particula vel guttula aquæ reperiatur. Id

Friſius Zieglerus, Saxo ferè ſimiliter.

ID profectò necessariò addendum fuit: Hanc scilicet glaciem, voces humanas, secundum Historicos, repræsentantem, & damnatorum receptaculum existentem, non esse, ut reliqua in vastissimâ hac universitate omnia, ex Elementi alicujus materiâ conflatam. Siquidem cum corpus esse videatur, corpus tamen non sit, (quod ex Frisii paradoxo rectè deducitur) cùm etiam corpora dura & solida perrumpat, non secus ac spectra & genii: Restat igitur cum non sit elementaris naturæ, ut vel spiritualem habeat materiam, vel cælestem, vel quod ipsi forsan largiantur, infernalem. Infernalem tamen esse non assentiemur, quia ad aures nostras pervenit, frigus infernale longè esse intractabilius, quàm est hæc glacies, humanis manibus in scrinio reposita, nec quicquam

suo

suo contactu, vel nudatam carnem, lædere valens. Nec profectò spiritualem esse dabimus; accepimus enim à Physicis, substantias spirituales nec cerni nec tangi, nec iis quicquam decedere posse: Quæ tamen omnia in hanc Historicorum glaciem, quantumvis, secundum illos, hyperphysicam, cadere, certum & manifestum est. Præterea & hoc verissimum est, eam calore solis resolutam, ac in superficie suâ stagnantem, siti piscatorum restinguendæ, non secus ac rivos terrestres, inservire: Id quod substantiæ spirituali denegatum est. Non est igitur spiritualis, ut nec infernalis. Iam verò cælestem habere materiam, nemo audebit dicere: Ne forte inde aliquis suspicetur, glaciem hanc barathrum, quod illi Historici affingunt, secum ê cœlo traxisse: Vel id cœlo, quippe ejusdem materiæ

cum

cum glacie, commune esse, atq; ita carcer damnatorum cum Paradyso cœlesti, loca commutasse, Historicorum culpâ putetur.

Quare cum glacies hæc Historica, nec sit elementaris; ut ex præsenti loco Frisii, optimè sequi jam toties monuimus: nec spiritualis, nec infernalis; quod utrumq; brevibus, solidis tamen, rationibus demonstravimus: nec cœlestis materiæ; quod opinari religio vetat: relinquitur omnino, ut secundum eosdem Historicos nulla sit, quam tamen illi tàm cum stupendâ admiratione prædicant, & nos videri ac tangi putamus. Est igitur, & non est: Quod axioma ubi secundum idem, & ad idem, & eodem tempore, verum esse poterit, nos demum miraculis istis glacialibus credemus. Itaq; jam vides Lector, ad hæc refellenda nullo alio esse opus, quàm monstrari quomodo secum

cum dissideant. Sed haud mirum, eum qui semel vulgi fabulosis rumoribus se permisit, sæpius errare. Cujusmodi etiam prodidit quidam de glaciei hujus Sympathiâ, quòd videlicet molis, cujus pars esset, discessum insequeretur, ut omnem observationis diligentiam inevitabili fugæ necessitate, deciperet. Atqui sæpe vidimus ejusmodi solitariam molem post abactam reliquam glaciem, nullis vectibus, nullis machinis detentam ad littus multis septimanis consistere. Palam est igitur, illud de glacie miraculum fundamento niti, quàm est ipsa glacies, magis lubrico.

SECTIO UNDECIMA.

Non procul ab his montibus, *(tribus prædictis)* ad maritimas oras vergentibus, sunt quatuor fontes, diversissimæ naturæ. V- Frisius.

 nus

nus ſuo perpetuo ardore omne corpus ſibi immiſſum raptim convertit in ſaxum, manente tamen priore formâ. Alter eſt algoris intolerabilis. Tertius vel melle dulcior, & reſtinguendæ ſiti jucundiſſimus. Quartus planè exitialis, peſtilens & virulentus.


Tiam hæc fontium topographia ſatis apertè monſtrat, quàm ex impuro fonte has ſuas narrationes omnes miraculoſas hauſerit Geographus. Id enim dicere videtur: Montes hos tres prædictos ferè contiguos eſſe: Siquidem tribus montibus quatuor fontes indiſcretè adſcribit. Alioqui ſi non vicinos ſtatuiſſet, uni alicui horum, duos fontes adſcripſiſſet. Sed neq; hi montes contigui ſunt (quippe multis milliaribus invicem diſsiti) neq; juxta hos fontes illi

qua-

quatuor reperiuntur: quod, qui credere nolit, experiatur. Cæterum ad hæc confundenda sufficit, credo, ipsorum historicorum contrarietas. Nam de duobus fontibus quidam Frisio his verbis contradicit. Erumpunt ex eodem monte (*Heclâ*) fontes duo, quorum alter aquarum frigiditate, alter fervore intolerabili excedit omnem elementarem vim. *Hi duo sunt primi illi Frisii fontes, nisi quod hîc miraculum indurandi corpora, alteri fontium attributum, omissum sit. Atqui non simul possunt ex ipso monte, & juxta montem erumpere.*

Hîc verò libenter quæsierim, quâ ratione quisquam ex Peripateticis dicat, aliquid ipso elemento aquæ frigidius, aut igne calidius? Vnde demum, scriptores, ista frigiditas? Vnde iste fervor? Nonne è Schola vestra accepimus

aquam esse elementum frigidißimum & humidum, atq; adeò frigidißimum, ut ad constituendas qualitates secundas, remitti sit necesse, nec simplicem usibus humanis inservire? (Hæc ego nunc Physicorum oracula fundo, vera an falsa, nescio.) Testis est unus omnium, & pro omnibus, Iohannes Fernelius lib. 2. Physiologiæ cap. 4. Sic, inquit, qualitates hæ (quatuor primæ) quatuor rerum naturis summæ obtigerunt, ut quemadmodũ puro igne nihil calidius, nihilq; levius: Sic terra nihil siccius, nihil gravius: Aquam sinceram, nullius medicamenti vis gelida evincit, ut nec aërem, ullius humor. Summæ præterea sic illis insunt, ut ne minimum quidem possint augescere, remitti verò possint. *Nolo huc rationes seu argumenta Physicorum aggregare. Vnum profectò hic cavendum est, ne dum fontium miracula prædicant scriptores, ut glaci-*

em

em Islandorum, ita etiam fontes, creatorum numero eximant. Nos fontium adiuncta, quæ huc scriptores pertraxerunt, ordine persequemur. Primus suo perpetuo calore) *Plurimæ sunt in Islandiâ thermæ seu fontes calidi: Pauciores ardentes: quos neq; cuiquam miraculo esse debere existimamus, cum huiusmodi, ut à scriptoribus didici, passim abundet Germania, præcipuè in iis locis, quæ non sunt procul ab Alpium radicibus. Nota est fama thermarum Badensium, Gebarsuiliensium, Calbensium, in ducatu wirtenbergensi, & multarum aliarum, quarum meminit Fuchsius in lib. de arte medendi. Et non solum Germania, sed etiam Gallia, & longè magis, omnium bonorum parens Italia, inquit Cardanus. Et Aristoteles narrat, circa Epyrum calidas aquas scaturire, unde locus pyriphlegeton appellatur. Atq; in-*

 quàm,

quam, hæc ideo minus miranda, quòd ut incendii montani, ita ferVoris aquei cauſſas indagarint Naturæ ſpeculatores: Aquam ſcilicet per terræ Venas ſulphureas, aut aluminoſas labi, indeq; non calorem ſolùm, ſed ſaporem etiam & Virtutes alienas concipere. Docuit hoc Ariſtoteles libro de mundo. Continet, inquit, terra in ſe multos fontes, ut aquæ, ita & ſpiritus & ignis: Quidam amnium more fluunt, & vel ignefcens ejiciunt ferrum: Nunc tepidæ aquæ erumpunt, nunc ferventiſſimæ, nunc temperatæ. *Et Seneca:* Empedocles exiſtimabat ignibus, quos multis locis opertos tegit terra, aquam caleſcere, ſi ſubjecti ſint ſolo, per quod aquæ tranſitus eſt. *Et ſcitè de thermis Bajanis Pontanus.*

Lib. 3. Nat. quæſt.

Bajano ſed ne fumare in littore thermas
Mirère, aut liquidis fluitare incendia venis:

Vulca-

Vulcani fora ſulphureis incenſa caminis
Ipſa monent, latè multùm tellure ſub imâ
Debacchari ignem, campoſq; exurere opertos.
Inde fluit, calidum referens ex igne vaporem,
Vnda fugax, tectis fervent & balnea flammis.

Hoc loco attingendum duxi quod tradit Saxo Grammaticus, Danorum celebratiſſimus hiſtoricus, Islandiæ fontes quoſdam nunc ad ſummum excreſcere, & exundare: Nunc adeò ſubſidere, ut vix fontes agnoſcas. *Qui etſi rariores apud nos inveniuntur, adſcribam tamen ſimiles, etiam alibi à natura productos, ne quis hîc monſtri quippiam imaginetur. Hos autem recitat Plinius. In Tenedo Inſula unum, qui ſemper à tertia noctis hora, in ſextam ſolſtitio æſtivo exundet. In agro Pitinate,*

trans Apenninum montem, fluvium esse, qui omnibus Solstitiis æstivis exundet, brumali tempore siccetur. Refert etiam de fonte quodam satis largo, qui singulis horis intumescat & residat. Nec id magis negligendum: subire terras flumina, rursusq́ redire: ut Lycus in Asiâ, Erasinus in Argolicâ, Tigris in Mesopotamia, quibus Cardanus addit, Tanaim in Moscovia: Et quæ in Æsculapii fonte, Athenis immersa sunt, in Phaletico reddi. Et Seneca scribit esse flumina, quæ in specum aliquem subterraneum demissa, ex hominum oculis se subducunt, quæ consumi paulatim & intercidere constet, Eademq́ post intervallum reverti, recipereq́ & nomen & cursum priorem. Et iterum Plinius; fluuium in Atinate campo mersum, post 20. millia passuum exire. Quæ omnia, & his similia, Islandiæ fontes, miraculo nullo,

nullo, præ cæteris esse debere, ostendunt.

Omne corpus immissum continuo convertit in saxum) *His duobus adjunctis, fervore nempe, seu ardore vehementissimo, & virtute indurandi corpora, primum suum fontem describit Frisius. Et fama quidem accepi, ipse non sum expertus, existere similem fontem in Islandiâ, non procul à sede Episcopali Schalholt, apud villam nomine Haukadal. Habet simile Seneca, dicens,* fontem quendam esse, qui ligna in lapides convertat, hominumq; viscera indurescere, qui aquam ejus biberint: *Et addit ejusmodi fontes in quibusdam Italiæ locis inveniri: quod Ovidius Ciconum flumini tribuit* 15. *metamorph.*

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Et Cardanus: Georgius Agricola, inquit, in Elbogano tractu juxta oppidum à falconibus cognominatum, integras cum corpore abietes in lapidem conversas esse, atque, quod majus est, in rimis etiam Pyritidem lapidem continere. Et Domitius Brusonius, in Sylare amne, qui radices montis ejus, qui est in agro urbis Vrsentinorum, olim, nunc Contursii, lambit, folia & arborum ramos in lapides transire, non fide aliorum, sed propria, ut qui incola sit regionis: (cui rei etiam Plinius astipulatur,) narrat; cortices autem lapidum, annos numero ostendere. *Sic (si scriptoribus credimus) guttæ Gotici fontis sparsæ lapidescunt. Et in Vngariâ, Cepusii aqua, in urceos infusa, lapidescit. Plinius refert etiam, ut in Ciconum flumine, & in Piceno lacu velino, lignum dejectum, lapideo cortice obduci.*

Secundus algoris intolerabilis.) *Quantum ad secundum fontem attinet,*

nullus

nullus hîc est quòd quisquam sciat, algoris intolerabilis, sed plurimi bene frigidi, ita ut vulgaribus rivis æstivo sole tepescentibus non sine voluptate ex frigidioribus illis aquam hauriamus. Sunt *&* *longè frigidiores fortè alibi:*Nam et Car*danus in agro Corinthio è montis vertice fluentem rivum commemorat, nive frigidiorem: Et intra primum à Culmâ lapidem, Insanam vocatum: quæ aqua cum fervere videatur, sit tamen longè frigidissima, &c.*

Tertius vel melle dulcior) *Neq; id prorsus verum est. Non enim est ullus apud nos, qui vel minimâ ex parte cum mellis dulcedine conferri possit. Rectius igitur Saxo, qui fontes (quoniam plures sunt)* in Islandia dicit inveniri Cerealem referentes liqvorem, ut *etiam ibidem non diversi saporis solùm, sed diversi etiam coloris fontes & flumina reperiuntur.* *Etsi*

Etsi autem tradunt Physici aquam naturaliter ex se neq; saporem neq; odorem habere, tamen, ut superius attigimus; veri simile est, quod alii per accidens vocant, eam sæpe referre qualitatem terræ, in quâ generatur, & per cujus venas transitum atq; excursum habet: Atq; hinc aquarum odores, colores, sapores, alios atq; alios existere. Cuiusmodi sunt, de quibus narrat Seneca, quorum alii famem excitent, alii bibentes inebrient, alii memoriæ officiant, alii juvent eandem, alii vini saporem et virtutem repræsentent: Vt ille apud Plinium in Andro Insulâ fons, in templo Liberi, qui Nonis Ian: vini sapore fluat. Et apud Aristotelem fons in agro Carthaginensi, qui oleum præbeat, & guttulas Cedri odore repræsentet. Item, Orcus fluvius Thessaliæ, influens in Peneum, olei instar supernatans: Cujusmodi etiam

Lib. de mirab. auscultat.

am

am narrat Cardanus in Saxonia esse, juxta Brunonis oppidum, fontem oleo perfusum: Et in Sueviâ, juxta Cænobium, cui Tergensche nomen est. Item, in valle montis Iuraßi. Causam hujus rei putat esse bitumen valde pingue, quod oleum sine dubio contineat. Idem, famam esse ait, in Cardiâ, juxta locum Daschyli, in campo albo aquam esse lacte dulciorem. Aliam quoq; juxta pontem, quâ Valdeburgum itur. Iam aquarum vini saporem referentium, meminit his verbis Propertius 3. lib. Elegiar. Lib. 2. de Element.

En tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Vnde tuum pota Naxia turba merum.

Est autem Naxus Insula una ex Cycladibus, in mari Ægeo. Causam hujus aßignat Cardanus, quod hydromel vetustate transeat in vinum. Aristoteles com-

commemorat Siciliæ fontem, quo incolæ loco aceti utantur. Idem ſaporum aquæ cauſam in calorem retulit, quòd terra excocta mutet & præbeat ſaporem aquæ.

Iam de aquæ coloribus ita Cardanus. Eadem eſt ratio colorum aquæ, ait, quæ & ſaporum: videlicet à terra originem trahere. Nam Candida eſt aqua, ad ſecundum lapidem à Glauca, Miſenæ oppido: Rubea, ut in Radera Miſenæ fluvio, juxta Radeburgum: Et olim in Iudæa juxta Ioppen: Viridis, in Carpato monte, juxta Neuſolam: Cærulea avt blava, inter Feltrium & Tarviſium, & in Thermopylis etiam, talem fuiſſe referunt: Nigerrima in Allera fluvio Saxoniæ, ubi in Viſurgim ſe exornerat. Cauſſæ ſunt argillæ colores, ſed tenuires. *Item, Ariſtoteles: circa Iapygiam promontorium, eſſe fontem, qui ſangvinem fundat, addens, eam maris partem ſuo fœtore navigantes procul arcere. Ajunt præterea*

in

in Idumæa fontem esse, qui quater in anno colorem mutet, cum sit colore nunc viridi, nunc albo, nunc sangvineo, nunc lutulento.

Et de aquarum odore sic Cardanus. Similis ratio differentiæ est in odoribus. Plærumq; tamen aquarum odores injucundi sunt, quòd rarò terra bene oleat. Pessimè olim fætabat in Ælide, Anigri fluminis aqva, usq; ad perniciem, non solum piscium, sed etiam hominum. Iuxta Metonem in Messania, in puteo quodam optimè olens aqva havriebatur. *Hæc ideo recito, ut nullus magis in Islandia quàm alibi, aquarum colores, odores, sapores, miretur.*

Quartus plane exicialis.) *Autor est Isidorus, esse fontem quendam, cujus aqua pota, vitam extinguat: Et Plinius:* Iuxta Nonarim, inquit, Archadiæ, Styx *(juxta Cyllenem montem: ait, Cardan: Sola equi ungula continebatur: Referunt eâ sublatum Alexandrũ Magnũ)* nec

nec odore differens, nec colore, epota illico necat. Idem, In Berofo Taurorum colle funt tres fontes fine remedio, fine dolore mortiferi: *Et quod longè maximum eſt, quod Seneca ſtagnum eſſe dicat, in quod proſpicientes, ſtatim moriantur. Nos verò Iſlandi, etiam hunc quartum Friſii fontem, cujus etiam Saxo meminit, ut antehac ſemper, itidem etiam nobis hodie penitus ignotum teſtamur: Hocq́ igitur nomine, Deo immortales gratias agimus, quòd ab ejuſmodi fontibus & ſerpentibus, infectis venenatis, ac aliis peſtiferis & contagioſis, eſſe nos immunes voluerit.*

Præterea eft apud prædictos fontes tanta fulphuris copia) *Montes tres à Munſtero & Friſio ignivomi dicti, omnes longiſsimo intervallo à noſtris fodinis diſtant. Quare cum juxta hos montes, fontibus quatuor, quos tantopere miraculis celebrant, locum & ſitum faciant, neceſſe*

necesse est eos fontes pari ferè intervallo à fodinis sulphureis remotos esse. Nec verò apud montem Heclam, ut Munsterus, nec apud hos Frisii fontes (quorum rumor quàm verus sit, hactenus ostensum est) sulphur effoditur: Nec patrum nostrorum memoriâ effossum esse arbitramur. Neq; verum est, quod de sulphuris copiâ tradit Munsterus, esse videlicet penè unicum Insulæ mercimonium & vectigal. Nam cum Insula in quatuor partes divisa sit, quarta pars, nempe borealis, tantùm dimidia, hoc utitur mercimonio, nec sulphuris mica in vectigal Insulæ penditur.

SECTIO DVODECIMA.

Piscium tanta est copia in hac Insula, ut ad altitudinem domorum sub aperto cælo vendendi exponantur. Munst.


VB aperto cælo:) *Id quidem facere vidimus mercatores extraneos, donec naves mercibus extraneis exonerarint, incipiantq́ easdem rursus piscibus & reliquis nostratium mercibus onerare. An verò nostri homines id aliquando fecerint, non satis liquet. Certè copiosa illa & vetus piscium abundantia jam desiit, Islandis & istius boni, & aliorum, penuria laborare incipientibus, Domino Deo meritum impietatis nostræ flagellum, quod utinam ritè agnoscamus, immittente.*

SECTIO DECIMA TERTIA.

Frisius. Equos habent velocissimos, qui sine intermissione 30. milliaria continuo cursu conficiunt.

Quidam


Vidam in sua mappâ Islandiæ, 20. milliaria continuo cursu assequi tradit cujusdam parœciæ equos. Sed utrumq; impossibile ducimus. Nam maximè celeritatis & roboris bestias, Rangiferos appellant, scribit Munsterus non nisi 30. milliaria 24. horarum spacio conficere.

SECTIO DECIMA-QUARTA.

Cete grandia instar montium prope Islandiam aliquando conspiciuntur, quæ naves evertunt, nisi tubarum sono absterreantur, aut missis in mare rotundis et vacuis vasis, quorum lusu delectantur, ludificentur. Fit aliquando, ut nautæ in dorsa cetorum, quæ Insulas esse putant, anchoras figentes, sæpe periclitentur, vocantur autē eorum lingva Trøllwal/ Tüffelwalen. i. Diabolica cete. Munst.

INſtar montium:) *En tibi iterum Lector, Munſteri Telenicia Echo, & cæcum, ut dici ſolet, inſomnium. Deformat, me Hercule, adeò mendax & abſurda hyperbole hiſtoriam, idq́ tantò magis quantò minus eſt neceſſaria. Nam quorſum attinet mentiri Hiſtoricum, ſi hiſtoria eſt rei veræ narratio? Quorſum tropicas hyperboles aſſumet? Quid conabitur perſuadere, aut quo pertrahere Lectorem, ſiquidem nihil niſi ſimplicem rerum expoſitionem ſibi proponit?*

Pictoribus atq; Poetis,
Quodlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas:
Non itidem Hiſtoricis.

Dorſa cetorum, quæ Inſulas putant:) *Nata eſt hæc fabula, ut & reliquæ, ex mendacio quodam, ut antiquo, ita*

ita ridiculo & vano, cujus ego fidem titivilitio non emam. Est autem tale: Missos fuisse olim Legatos cum sodalitio monastico, ab Episcopo Bremensi (Brandanus veteribus Norvagis, Krantzio, ni fallor Alebrandus, appellatur) ad fidem Papisticam, quæ tum Christiana putabatur, in Septentrione prædicandam & divulgandam: Eosq́, ubi immensum iter Septentrionem versus navigando consumpsissent, ad Insulam quandam pervenisse: ibiq́ jactâ anchorâ descensum in Insulam fecisse, focos accendisse: (Nam veri simile est nautas in ipso mari glaciali frigore non parum esse vexatos) & commeatum navalem ad reliquum iter expedivisse: Ast ubi bene ignibus accensis incaluerant foci, Insulam hanc submersam, citò evanuisse, nautas autem per præsentem scapham vix servatos fuisse. Habes

cujus rei fundamentum Lector, sed quàm incredibile, ipse vides. Quid verò tandem est animi nautis, qui in mari procelloso videntes scopulum, vel, ut Munsterus, Insulam perexiguam emergere, non vitent potius omni studio, allisionem & naufragium metuentes, quàm ut in portu parum tuto quiescere tentent? Sed ubi anchora figenda? Solent enim, ut plurimùm, de esse nautis tam immensi funes, ut in altissimo æquore anchoram demittant: Igitur in dorsis cetorum, respondet Munsterus. Oportet igitur, vestigium unci prius effodiant. O stultos nautas, balenarum carnem, à terræ cespitibus, inter fodiendum, non dignoscentes, nec lubricam cetorum cutem, à terrestri superficie internoscentes. Digni profectò, quibuscum ipse Munsterus, nauclerus transfretaret. Equidem hoc loco, ut & superius, de

mira-

miraculis Islandiæ terrestribus agens, è Tantali, ut ajunt, horto, fructus colligit, id est, ea confectatur, quæ nunquam reperiuntur, nec usquam sunt, dum miracula hinc inde conquirere, terram & pelagus verrere, ad Historiæ suæ supplementum studet: Vbi tamen nihil nisi commentitia tantùm venari potest.

Vocantur autem lingva eorum Trøllwal.) *Ne ultra peram, Munstere: Nullam siquidem es lingvæ nostræ cognitionem adeptus: Quare meritò puderet tantum virum, rem ignotam alios velle docere: Est enim ejusmodi inceptum erroribus obnoxium complurimis, ut vel hoc tuo exemplo docebimus. Dum enim vis aliis autor esse quomodo nostra lingua balenæ vel cete appellentur, detracta, per inscitiam, aspiratione, quæ penè sola,*

 vocis

vocis significationem facit, quod minimè verum est, affers: Non enim **val** *nostrâ lingva balenam, sed electionem sive delectum significat, à verbo,* **Eg vel** *.i. eligo, vel deligo; unde* **val/** *&c. At balena* **Hualur/** *nobis vocatur; Unde tu* **Trøllhualur** *scribere debebas. Nec verò* **Trøll** *Diabolum, ut tu interpretaris, sed Gigantes quosdam montanos significat. Vides igitur, quomodo in toto vocabulo turpiter, quod haud tamen mirum, erres. Levis quidem illa in lingvam nostram injuria, in unica tantùm voce: quoniam plures, havd dubiè, non noras.*

Idem aliis etiam usu venit: Non enim probandum est, quòd quidam, dum Islandiæ descriptionem, ab Islandis acceptam, ederet, maluerit omnia, aut certè plurima promontoriorum, sinuum, montium, fontium, fluminum, tesquorum,

rum, vallium, collium, pagorum nominà depravare (quòd nostræ lingvæ ignarus, non sciret à nostratibus accepta satis exactè legere) atq; corrumpere, quàm prius ab ipsis Islandis, qui tum temporis, id est, Anno 158 5. in Academia Haffniensi vixerunt, quomodo singula, legi ac scribi deberent, ediscere. Ipsum certè hac nativorum nominum & appellationum voluntariâ depravatione, (qua factum est, ut ipsi ea legentes, paucissima nostra agnoscamus,) in lingvam nostram, alioqui puram & avitam penè elegentiam retinentem, non leviter peccasse reputamus.

Cæterum jam plurima Islandiæ miracula, quæ quidem scriptores nostri attigerunt, sic utcunq; examinavimus. Sed tamen priusquam alio divertamur, in hac parte attingendum videtur, quod idem ille in mappâ Islandiæ, quam sub

suo nomine, prædicto Anno edi fecerat; de duobus, præter supra dictos, fontibus Islandiæ prodidit: quorum alter lanas albas, colore nigro, alter nigras, albo, inficiat. Quod quidem ubi acceperit, aut unde habeat, scire equidem non possumus: Nec enim apud nostrates, nec apud extraneos scriptores, reperire licuit. Sed undecunq; est, fabula est, nec veritatis micam habet. Quamvis autem sit incredibile, Lanas nigras albo infici colore, *cum traditum sit à Plinio, Lanarum nigras nullum imbibere colorem: Tamen simile quiddam narratur à Theophrasto: Flumen esse in Macedonia, quod oues nigras, albas reddat. Et illa, cujus etiam superius memini, rapsodia Norvagica, speculum scilicet illud Regale, hos ipsos fontes, Irlandiæ, quæ hodie Hybernia, non Islandiæ esse affirmat. Quod forsan Lectori imposuit, in lingua peregrina, pro R, S, legenti.*

Non

Non majorem fidem meretur, quod Historicus quidam habet; Esse in Islandia saxum, quod montium prærupta non extrinseca agitatione, sed propria nativaq; motione pervolitet: *Id qui credere volet, qui! incredibile ducet? Est enim commentum tam inauditum, ut nullum ejus simile, fabulatos fuisse Epicuræos (qui tamen multa incredibilia excogitasse Luciano visi sunt) constet: Nisi fortè hominem, qui Islandis proprio nomine Sten dicitur, sentit Historicus rupes quasdam circuisse, vel circumreptasse. Quòd, etsi ridiculum est in Historiam miraculosam referre; hominem scilicet moveri vel ambulare; tamen ad salvandam Historici fidem, simulandum: ne figmentum illud, per se satis absurdum, nec dignum quod legatur, durius perstringamus.*

Eodem

Eodem crimine tenentur, quicunq́ Islandiæ, corvos albos, picas, lepores, & vultures adscripserunt: Perrarò enim vultures, cum glacie marina, sicut etiam ursos (sed hos sæpius quàm vultures) & cornicum quoddam genus, Islandis Jsfrakur / *advenire observatum est. Picas verò & lepores, ut & corvos albos, nunquàm Islandia habuit.*

Atq́ hæc ferè sunt, quæ de prima commentarii nostri parte per quotidianas occupationes, in præsentiâ, afferre licuit. Quæ in hunc finem à me scripta sunt, (quod etiam prius testatus sum,) ut scriptorum de terra ignota errores, & quorundam etiam affectata vanitas, patefierent: Neq́ enim eorum famæ quicquam detractum cupio: Sed quòd veritati & patriæ, operam meam consecraram, illa, quæ hactenus

ctenus dicta sunt à multis, de Insula, fidem valde exiguam mereri, necesse habui ostendere: ac ita mihi viam, ad sequentia, de Incolis, sternere.



COMMENTARII
PRIMÆ PARTIS
FINIS.



COMMENTARII DE ISLANDIA
PARS SECVNDA: QVÆ EST DE INCOLIS.

ABsolutis hactenus miraculis Islandiæ, (cum nonnullis aliis, primæ parti annexis) quæ dum scriptores, velut Agamemnonios quosdam fontes, imò, ut quiddam præter & contra omnem naturam, mirantur, nec non variè deprædicant, minus veritati ipsi, & autoritati suæ consulunt; monet propositæ orationis series, ut ad alteram commentarii partem nos conferamus, quæ est de incolis: Vbi quid primùm dicam, aut unde initium sumam, non satis teneo. Tanta enim sunt in nos ultimos Islandos,

dos, & tot, quorundam ludibria, tot opprobria, tot scommata, tot dicteria, (Atq; inter hæc etiam nonnulla eorum, qui simplicissimam veritatem profiteri volunt, nempe historicorum,) ut si singula recensere velim, non aliud quàm,

Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Sed, ut dixi initio; non cum omnibus æquè stricto jure agemus. Nam licet Krantzius, Munsterus, Frisius, & alii, nimis audacter multa, de gente nostra scripserint: Tamen suis monumentis de studiis liberalibus alioqui benè meriti, etiam apud nos eo erunt in precio, quo merentur. Verum interea, etsi quis velit eos à calumniandi nota liberare, tamen non leve est, eos res quasdam tam absurdas, impossibiles & ridiculas proposuisse, cujusmodi illa fuerunt, quæ hactenus exposuimus; tum impias,

impias, & atrocitate mendaciorum horrendas, cujusmodi jam sequentur aliquot, in historias retulisse. Ast aliis, quicunq; sunt, qui quotidianis conviciis, nationem Islandorum incessunt, responsio, quàm merentur, parata esse debet: Ex quorum numero, scurra ille fuit, qui rhythmis aliquot, in gentis nostræ contumeliam, Germanica lingua editis, nomen suum immortali dedecori consecravit.

Quapropter, ut instituti nostri ratio exigit, dum scriptorum de hac re monumenta persequimur, etsi quædam in eis occurrant, quæ contumeliæ parum habent, nos tamen pleraq; excutiemus, & errores, ut hactenus annotabimus; tum si quid veri interea attulerint, id nequaquam dissimulabimus. Ac eo modo, primùm Munsterum, Krantzium, Frisium, & si qui sunt alii, audiemus, Graculo illo,

Secundæ partis distributio.

illo, cum suis rhythmis Germanicis, dirâ calumniâ infectis, in postremum, ut dignus est, rejecto locum. In hunc igitur modum, primùm de fide seu Religione Islandorum; Deinde de ipsorum moribus, institutis seu vivendi ratione, authores isti scribunt.

1. capitis hujus partis divisio.

SECTIO PRIMA.

Adalbertus Metropolitanus Hamburgensis, Anno CHristi 1070. vidit ad CHristum conversos Islandos; licet ante susceptam Christi fidem, lege Naturali viventes, non multùm à lege nostra discrepantes: itaq; petentibus illis, ordinavit quendam virum sanctum, primum Episcopum, nomine Isleif.

Krantzius in præfatione suæ Norvegiæ.



Rantzius his verbis, & Munsterus alibi, fidei seu Religionis Christianæ dignitatem,

tatem, Islandis videntur adscribere: Facerentq́; & se, & veritate dignum, nisi eandem aliâs nobis adimerent. Nam (ut de Krantzio infra) Munsterus, quæ supra prodidit, de fide nostra, seu opinione circa Inferni locum situmq́;, omninò est à Christiana pietate alienum: Velle scilicet scrutari arcana, quæ Deus sibi soli reservavit, queq́; voluit nostrum captum excedere: Non enim reperitur de hac re quicquam in literis sacris, ubi locus vel situs inferni seu ignis æterni, Diabolo & Angelis ipsius, adeoq́; damnatis omnibus animabus destinati, determinetur, aut circumscribatur; Nullum inquam, infra terram, seu in ea, aut ulla alia hujus mundi parte, corporalem seu localem situm illi damnatorum carceri, pagina sacra assignat: quinimò, terram hanc interituram, & terram novam & cælos novos, justorum & sanctorum habitacu-

bitacula, creanda affirmat: Apocal. 2. 2. Petri 3. Esaiæ 65. Quare Christianus, rerum adeò abstrusarum inquisitionem libenter præterit: tum dogmata nullis apertis & illustribus scripturæ sacræ testimoniis stabilita, velut certa & vera recipere, aut aliis tradere, nefas esse ducit. Deut. 4. & 12. Esaiæ 8. Matth. 17. 2. Timoth. 3.

Deinde etiam pugnat acriter cum Religione Christiana, quo Munsterus & Krantzius Islandos ornant, encomium: Eos videlicet, catulos ac pueros suos æquo habere in precio. De quo infra, sectiön. 7. Sic igitur secum dißidet Munst. *dum quos Christianos asserit, inferni architectos alias facit: Item, Krantzius et* Munsterus, *dum quos fide Christo insertos affirmant, eosdem omni pietatis & honestatis sensu exuunt: quòd scribant filios ab his, non majore cura, quàm catulos, diligi.*

Sed ut ad rem: De Religione equidem nostrâ, quæ qualisve fuerit, cum Ethnicismus primùm fugari cœpit, nihil magnificè dicere possumus: quemadmodum nec alia Septentrionis Regna vicina, uti existimo, de suis fidei initiis. Fatendum enim est, & cum seriis gemitibus deplorandum, usq; ad illam nunquam satis prædicatam diem, quæ nobis velut immortalitis initium illuxit, & repurgati Euangelii doctrinam attulit, tenebras plusquam Cimmerias, etiam nostris hominibus, ut reliquis Septentrionis Ecclesiis, offusas fuisse. Illud tamen piè nobis sentire liceat, apud nos, ut & in vicinâ Norvegiâ (nam nolo ultra septa vagari, & de populis ignotis quicquam pronunciare) ejectâ primum Idololatria Ethnica, sinceriorem longè & simpliciorem fidem seu religionem Christianam, viguisse; quippe veneno Papisti-

Papistico minus infectam, quàm postea, ubi auctum Romanæ sedis fermentum pestiferum, & malum contagiosum maturuit, & per totum orbem, virus suum diffudit: Nam ut posteà apparebit, multis annis antequam nova Pontificiorum Idololatria vires & incrementum cæpit, Islandia Christum amplexa est: & ut laudatissimi duo illi Norvegiæ Reges, quibus ut commune nomen, ita commune nominis Christi propagandi studium & professio, nihil nisi fidem in Deum, Patrem, Filium, & spiritum Sanctum, sonabat. Dico autem illum Olaum Thryggonis F. qui Anno Christi 968. natus, Anno ætatis 27. imperium Norvegiæ adeptus est, et primus, ut accepimus Norvegis Christum obtrusit: quibus imperitabat annis 5: Et huic cognominem, Olaum nuncupatum Sanctum, Haraldi F. Qui anno

Christi 1013. aut circiter, imperii habenas arctius in primis obtinuit: Per annos fere 17. Christi doctrinam audacter tradidit. Anno Christi 1030: ab improbis parricidis nefariè interfectus, in pago Norvegiæ Stickla Stødum/ *pro Christi nomine cruorem fudit.*

Habuit etiam nostra patria inter multos alios quendam, insignem pietate virum; cui Njalus nomen erat, qui circa annum Christi 1000, vixit in prædio seu villa Berthorshuol / *sita in Parochia Islandiæ,* Landeyum: *Quiq; rerum humanarum experientia, circumspecta animi prudentia, sagacitate & consilio, habebatur insignis. Cum enim, ejus seculo, indomitis Islandia motibus fluctuaret, incolis à nullo ferè superiore magistratu repreßis, nullis se factionibus immiscuit: Plurimas cauta animi virtute ac industria composuit: Nunquam*

quam vim fecit, nec passus est, si ultimum tantum in vita diem excipias. Adeò studiosè seditiones & turbas vitavit: aliosq; vitare aut evadere cupientes, optimè juvit: Nec quisquam ejus consilio, nisi maximo suo commodo est unquam usus: nec quisquam ab eo, nisi cum vitæ & fortunarum periculo, deflexit. Tam certum ab eo oraculum petebatur, ut valde mirandum sit, unde homini tanta futurorum eventuum, & tam certa conjectura & consilium esse potuerit, quanta in ipso depræhensa est. Unde ipsius cauta, providens & consilii plena sapientia, apud nostrates in proverbium abiit: Nials bijta raden: *quasi dic: Niali consilium: vel. Niali consilio res geritur, aut succedit: cùm quid prudenter & admirando cum consilio gestum est.*

Hic cum domi suæ, à 100. *viris conjuratis ob cædem à filio ipsius, ipso tamen inscio, patratam cingeretur, & inimicis domum undiq; igni succendentibus, sibi videret supremum fatum instare, ait tandem. Hæc quidem fato, hoc est, voluntate divina accidunt. Cæterum spem & fiduciam in Christo sitam habeo, nos (de se & uxore loquens) licet corpus hoc nostrum caducum, inimicorum flammis, mortalitatis corruptionem subeat, ab æternis tamen flammis liberatum iri. Sicq; inter has voces, & flammarum sævitiam, vitam, Anno Christi* 1010. *cum vxore & filio homicidâ finivit. Vox profectò filiis Dei non indigna, animæ, cum mortis acerbitate luctantis, summum solatium arguens.*

Hæc ideò addidi, ut ostendam, quâ conjecturâ adducar ad existimandum mox initio Christianismi (ut sic loquar) apud

apud nos recepti, non fuisse tam deceptas & errorum tenebris immersas hominum mentes, quàm nunc, paulò antè hæc nostra tempora, fuerunt.

Ast verò jam postquam Dominus Deus per Lutherum, & Lutheri in vinea Domini collegas, & pios successores salutis doctrinam illustriorem reddidit, mentiumq́ nostrarum gravi veterno & densâ caligine excussis, dextræ suæ digito, hoc est, spiritu Sancto, (Matth. 12. Vers. 28.) cordis nostri auriculas vellicavit, ac oculos, quibus salvificam ipsius veritatem cerneremus, nobis aperuit: Nos omnes & singuli credimus & confitemur Deum esse Spiritum, (Iohan. 4. Vers. 24.) æternum Esai 40. Vers. 28.) Infinitum (Ierem. 23. Vers. 24. Psalm. 139. Vers. 7. 8. 9.) optimum (Matth. 19. 17) omnipotentem (Gene. 17. 1. Apocal. 1. 8.) Vnum essentiâ & naturâ: Vnum Summa religionis Islandorum.

providentiâ: unum efficientiâ rerum & administratione (Deut. 6. 5. Ephes. 4. 5.) At personis divinitatis proprietatibusq; distinctum, Patrem, Filium, & spiritum Sanctum (Matth. 28. 19. & 3 17.) Deum Patrem quidem, primam divinitatis personam, cœli terræ & omnium rerum creatorem (Gene. 1. Vers. 1. & sequent.) Sustentatorem & gubernatorem (Psal. 115. 3. Heb. 1. 3.) Patrem Domini nostri IEsu Christi (Psalm. 2. 7. & sequent:) & nostrum per eundem Patrem (Rom. 8. 15.) Animæ & corporis curatorem (Luc. 12. 12) Tum Iesum Christum, secundam divinitatis personam, filium Dei patris (Iohan. 1. 18. &.) Vnigenitum (Iohan. 1. 29. Heb. 1. 2.) æqualem patri (1. Paral. 17. 13. Iohan. 1. 1.) Deum verum (Iohan. 1. 2. &c.) ante omnia creata perordinatum (1. Pet. 1. 20. Apocal. 13. 8. &c.) & statim post lapsum, promissum,

ſum, Meſsiam (Gene.3.15.) Sanctis Patriarchis identidem promulgatum; ut Abrahæ (Gene.12.3. &c.) Iſaac, (Gen. 26.4.) Iacob (Gen.28.14.) & promiſsionibus confirmatum (Geneſ.49.9. Eſa.11.1.10) Sacrificiis Moſaicis (Leuit.1.2.&c) Et aliis typis perfiguratum: immolatione Iſaac (Gen.22.) Exaltatione *ænei ſerpentis. (Num.21.) Ionâ (Ion. 2.&c.) Prophetarum teſtimonio proclamatum (Eſai.7.14.&c.) ac tandem in plenitudine temporis verè exhibitum: hominem verum (Iohan.1.14.&c. Paul. Gala 4) mortuum pro peccatis noſtris: reſuſcitatum propter juſtificationẽ noſtrã (Rom.4.25 &c.) Aſcendentem in cœlum (Act.1 9.&c.) ac pro nobis ad dexteram patris ſine intermiſsione interpellantem (1.Iohan 2.1.&c.) per ſpiritum Sanctum ſuum (qui tertia eſt divinitatis perſona patri & filio compar & conſubſtan-*

tialis.

tialis. (Actor. 5. 4.) Ecclesiam sibi verbo & Sacramentis colligentem (Matth. 16. 18. Roman 10. 14. &c.) Et ad vitam æternam sanctificantem (Actor. 9. 31. &c.) Ac tandem consummatis seculis è cœlo venturum (Actor. 1. 11.) Iudicare viuos & mortuos (1. Thess. 4. 15.) redditurum impiis secundum opera sua, eosq́; pœnis æternis adjudicaturum (Matth. 13. 42. & 25. 41.) credentes verò in nomine ipsius æternâ vitâ donaturum. (Matth. 25. 34. &c.) Hunc, inquam, IEsum Christum redemptorem (Matth. 1. 21.) Caput (1. Corinth. 12. 27.) & Dominum nostrum (Ephes. 4. 5.) agnoscimus: Nosq́; illi nomen in sacro baptismo dare ac dedisse (Actor. 2. 38.) Et per baptismum illi insertos esse (1. Corinth. 12. 13.) apertè, ingenuè, liberè ac libenter fatemur ac contestamur: omnesq́; alios, quicunq́; aliud nomen sub

cælo datum esse hominibus per quod salvi fiant, comminiscuntur, serio detestamur, execramur & damnamus. (*Actor.* 4.12.) *Verbum ipsius sanctissimum unicam salutis normam statuimus, illudq́ tantummodo, omnibus humanis commentis abjectis & spretis, infallibilem fidei nostræ regulam & amussim nobis proponimus:* (*Galat.* 1.8. *Esai.* 29.13. *Ezech.* 20.) *Quod duplicis Testamenti, veteris & novi, appellatione, complectimur.* (*Hebr.* 8.) *traditum per Prophetas & Apostolos* (*Ephes.* 2. 20.) *singulari & immensâ Dei bonitate in hunc usq́ diem semper in Ecclesiâ conservatum & conservandum in posterum.* (*Matth.* 28. *ult. Psalm.* 71.18. *1. Corinth* 11.26.)

Deo igitur optimo maximo gratias, ex animo & toto pectore agimus, quòd etiam ad nos, vastissimo intervallo à reliquo Ecclesiæ corpore divulsos & ulti-

mas

mas mundi partes habitantes, lumen hoc ſuum, conceſſum ad revelationem gentium, & paratum ante faciem omnium populorum, olim pio Simeoni benignè oſtenſum (Nam in CHriſto omnes theſauri ſapientiæ reconditi) quod nunc totam noſtram gentem radiis ſuis ſalvificis illuminat ac fovet, pertingere voluerit. Hæc ita breviter, ipſam ſummam perſtringendo, fides noſtra eſt, & noſtra religio, quam, monſtrante ſpiritu Sancto, & ipſius in vineâ Chriſti miniſtris, hauſimus: idq́ ex fontibus Iſraëlis.

Anno Domini 1070. vidit ad Chriſtum converſos Islandos.)

DVbium nobis eſt, utrum his verbis dicere voluerit Krantzius, Iſlandos primùm Anno Domini 1070. ad Chriſtum eſſe converſos: an verò, prius quidem eſſe converſos non neget, ſed eo primùm Anno id Adalberto innotuiſſe dicat: Utrum-

Vtrumvis autem affirmet, tamen fidem ipsius hoc loco suspectam reddunt annales & Chronologiæ nostræ gentis antiquissimæ, quæ contrarium testantur: quibus utrum malis, de rebus nostris propriis & domesticis & intra nostræ Insulæ limites gestis credere, an verò Krantzio, aut cuivis alteri in nostratium rerum historiâ peregrino, sit penes tuum, Candide Lector, arbitrium. Ego profectò multis adducor ut nostris potius assentiar. Nostrates enim nota tantùm et ferè domestica afferunt; ille peregrina & ignota. Hi suas Chronologias sine aliarum omnium nationũ labe, maculâ & sugillatione contexuerunt, tantũmodò, ut rebus gestis suum verum tempus seu æram assignarent; ille quædam cum re & veritate pugnantia in contumeliam gentis nostræ ignotissimæ, Historiæ suæ admiscuit, ut paulò pòst apparebit: Hi *omnium Episcoporum*

Islan-

Islandiæ nomina, annos, ordinem, & successum describūt: Ille unius tantùm mentionem facit, idq́ longè secus quàm res habet. Porrò ut his fidem faciam, pauca, quæ in vetustissimis nostris annalibus de Islandiâ ad Christum conversâ, & de Episcoporum in nostris Ecclesiis successione, reperi, quorum etiam fides apud nos publicè recepta est, cum extraneis communicabo. Quæ tametsi leviuscula sunt, nec omnia prorsus digna quæ scribantur, scribenda tamen omnino sunt ad nostrarum rerum veritatem, aduersus Krantzium et alios asserendam: Sic igitur habent.

Anno Christi 874, *prius quidem, ut ante commemorauimus, inventa, sed tunc primum à Norvagis (quorum princeps fuit Ingulphus quidam, è cujus nomine promontorium Islandiæ occidentalis* Ingulffs hoffdi *appellationem traxit)*

traxit) occupata est Islandia. Hi plures quam 400. cum cognatis & agnatis & præterea numerosâ familiâ nominatim in annalibus nostris recensentur: nec illorum tantùm numerus describitur, sed quas oras, quæ littora, & quæ loca mediterranea, singuli occupaverint & incoluerint, & quomodo primi inhabitatores, fretis, sinibus, portubus, Isthmis, porthmis, promontoriis, rupibus, scopulis, montibus, collibus, vallibus, tesquis, fontibus, fluminibus, rivis, ac deniq; villis seu domiciliis suis nomina dederint, quorum hodie pleraq; retinentur & in usu sunt, apertè narratur. Itaq; Norvagi occupatæ jam Islandiæ 60. annorum spacio, aut circiter, habitabiles partes sua multitudine implent: Centum verò propemodum annis Ethnici manserunt, si paucissimos, qui in Norvagia fortè sacro fonte abluti fuerant, excipias.

Annis autem vix centum à primo ingressu elapsis, mox de religione Christianâ agi cæptum est, nempe circa annum Domini 974. quæ res non sine insigni rebellione plusquam 20. annis variè à multis tentata est: Commemorantur autem duo Episcopi extranei, qui cum aliis, in convertendâ ad fidem Christi Insulâ, diligenter laborârint: Prior Fridericus, Saxo natione, qui Anno 981. ad Islandos venit, atq; docendi munere strenuè functus est, ac tantum fecit, ut Anno 984. sacræ ædes Islandis in usu fuerint.

Alter verò ille extraneus Episcopus sive concionator, quem Thangbrandt nuncupavere, Anno 997. in Islandiam primùm venit.

Hinc post 26. annorum disceptationem de religione, tandem Anno 1000, in conventu generali omnium incolarum,

rum, decretum eſt, univerſali eorundem conſenſu, ut, Ethnicorum numinum cultu ſepoſito, religionem ſectarentur Chriſtianam.

Rurſus in ſolenni incolarum conventu, Anno 1050, ſancitum eſt, ut leges ſeculares ſeu politicæ (quarum conſtitutiones allatas ex Norvagia quidam Vlfliotus, Anno 926. Iſlandis communicarat) ubiq; cederent juri Canonico ſeu divino.

Anno 1056. abit peregrè ex Iſlandia Isleifus quidam, in Epiſcopum Islandiæ ordinandus.

Redit ordinatus in Iſlandiam & Cathedram Scalholtenſem adit, Anno 1057. Moritur 1080. Ætatis 74. 4. Calendas Iulias.

Videbuntur forſitan hæc minuta, conciſa, vilia, nec narratione ſatis digna, cum multis fortè quæ ſequuntur: Sed

nec historiam Romanam contexim⁹, nec tam minuta erunt, quin contra Krantzij & aliorum errores convincendos, prout nostrum est institutum, valeant. Et certè, quantum ad fidem nostrarum Chronologiarũ, constat Saxonem Grammaticum, non parum illis tribuisse: Cujus, in præfatione suæ Daniæ, hæc sunt verba. Nec Thylensium, *inquit* (*sic enim Islandos appellat*) industria silentio obliteranda: qui cũ ob nativam soli sterilitatẽ, luxuriæ nutrimentis carentes, officia continuæ sobrietatis exerceant, omniaq; vitæ momenta, ad alienorum operum notitiam conferre soleant, inopiam ingenio pensant. Cunctarum quippe nationum res gestas cognosse, memoriæq; mandare, voluptatis loco reputant, non minoris gloriæ judicantes, alienas virtutes differere, quam proprias exhibere. Quorum thesauros, Historicarum rerum pignoribus refertos, curiosius con-

consulens, haud parvam præsentis operis partem ex eorum relationis imitatione, contexui: Nec arbitros habere contempsi, quos tantâ vetustatis peritiâ callere novi. *Hæc Saxo. Quare lubet Episcoporum Islandiæ Catalogum persequi, ut ex annalibus nostris continuata diligenter, quoad ejus fieri potest, omnium series, his, quæ de primo Isleifo, contra Krantzium attulimus, fidem faciat.*

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholtenses.	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	II.	I.	
	Gysserus.	Ionas Augmũdi F.	
1082.	Ordinatur peregrè.	Isleifi discipulus:	
1083.	Redit in Islandiam cum Episcopatu.	Ordinatur peregrè: Anno ætat:64. cognomentũ illi,	1106.
1118.	Moritur 5. Kalend. Majas, qui	sanctus: cujus me-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	qui fuit Dies Martis.	memoriæ dies 3. Martii, apud Islādos est antiquitus dicatus.	
	III. Thorlacus Runolphi F.		
Anno ætatis 32.	Ordinatur eodē anno, quo prædecessor Gysserus vita excessit, sed tamen ante illius obitum 30. die.	Moritur 11. Calend. Majas.	1121.
		II. Ketillus sive Catullus.	
		Ordinatur.	1122.
		Moritur.	1145.
1133.	Moritur.	III. Biørno.	
	IIII. Magnus.	Ordinatus venit in Islandiam.	1147.
1134.	Ordinatur.		
1148.	Postridie Festi omniū sanctorum in villa sacerdotali Hijtardal / convivans, cænaculo fulmine percusso	Moritur.	1162.
		IIII. Brandus.	
		Ordinatur.	1163.
		Cathedrā adit.	1165.
		Moritur.	1201.
		Gud-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	cullo cum viris	V.	
	70. flammis ab-	Gudmundus.	
	sumtus est.	Cognomento	
	V.	Bonus:	
	Klajngus.	Eligitur & or-	1203.
1151.	Eligitur.	dinatur.	
1152.	Cathedram	Moritur.	1237.
	adit.	VI.	
1176.	Moritur.	Botolphus.	
	VI.	Redit ordina-	1239.
	Thorlacus.	tus.	
	Eligitur biennio	Moritur.	1246.
	ante obitũ præ-	VII.	
	decessoris:	Henricus.	
1178.	Ordinatur.	Cathedram	1247.
1193.	Moritur.	adit.	
	VII.	Moritur.	1260.
	Paulus.	VIII.	
1195.	Ordinatur.	Brandus.	
1211.	Moritur.	Abbas, pere-	1262.
	VIII.	grè abit.	
	Magnus.	Cathedrã adit.	1263.
1216.	Ordinatur.	Moritur.	1264.
	Sig-	Io-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	IX.	IX.	
	Sigvardus.	Iørundus.	
1239.	Cathedram adit	Cathedram	1267.
1268.	Moritur.	adit.	
	X.	Moritur.	1313.
	Arnerus.	X.	
1269.	Cathedram adit	Audunnus.	
1298.	Moritur.	Cathedram	1314.
	XI.	adit.	
	Arnerus Helgonis F.	Moritur.	1322.
		XI.	
1304.	Ordinatur.	Laurentius.	
1305.	Cathedram adit.	Eligitur & ordinatur.	1324.
1309.	In Norvagiam abit ligna à Rege Norvagiæ	Moritur Idib. April:	1331.
		XII.	
	petiturus, qui-	Egillus.	
	bus templum	Cathedram	1332.
	Schalholtense	adit.	
	reædificaretur,	Moritur.	1341.
	quod eodem	XIII.	
	anno fulmine	Ormus.	
	tactum	Ca-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	tactum confla-grarat.	Cathedram adit.	1343.
1310.	Redit ex itinere.	Moritur in Festo omnium sanctorum.	1355.
1320.	Moritur.		
	XII. Ionas Haldorus.	XIIII. Ionas Erici F.	
1321.	Eligitur.	Cognomento Skalle.	
1322.	Ordinatur Cal: Augusti.	Cathedrã Holensem aditurus venit in Islandiam.	1358.
1323.	Cathedram adit		
1338.	Moritur.		
	XIII. Ionas Indridi F. Norvagus.	Hic Ionas, olim in Episcopum Grønlandiæ Ordinatus, à Pontifice Romano impetravit, ut liceret sibi Episcopatum Holensem adire, qui	1356.
1339.	Cathedram adit		
1341.	Moritur.		
	XIIII. Ionas Sigvardi F.		
1343.	Cathedram adit		
1348.	Moritur pridie divi Magni Gyr-		

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	XV.	qui tunc tem-	
	Gyrthus.	poris vacabat.	
1349.	Ordinatus Af	Vnde cum con-	
	lojæ Norva-	firmationẽ hu-	
	gorũ, ab Epis-	jus dignitatis ac	
	copo Asloen-	muneris, à Põ-	
	si Salomone.	tifice acceptã,	
1356.	Abiens pere-	veniens non	
	grè fluctibus	proferret, apud	
	vitam finit.	Presbyteros di-	
	XVI.	oecesis Holen-	
	Thorarinnus.	sis, suspectæ fi-	
1362.	Cathedrã adit.	dei esse cœpit.	
1364.	Moritur.	Quare ab iisdẽ	
	XVII.	in Norvagiam	
	Oddgejrus.	relegatus est,	
1366.	Cathedrã adit.	ut ea res arbi-	
1381.	Moritur in as-	trio Regis com-	
	sumtione bea-	poneretur.	
	tæ virginis, in	Rege igitur ip-	
	portu Norva-	sius partibus	
	giæ Bergensi,	favente Ca-	
	è mercium a-	thedram. Ho-	
	cervo	len-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schallholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	cerve in imum	lensem obti-	
	navis delapsus.	nuit.	
	Sepultus Bergis	Moritur.	1391.
	in æde Salva-	XV.	
	toris.	Petrus.	
	XVIII.	Ordinatur, quo	
	Michaël Da-	anno præde-	
	nus.	cessor rebus	
1385.	Cathedram adit	mortaliū ex-	
1388.	Resignat profe-	emptus est.	
	ctꝰ in Daniam.	Cathedram a-	1392.
	XIX.	dit Holensem.	
	VVilhelmus	Moritur.	
	Danus.	XVI.	
1394.	Cathedram adit	Ionas VVil-	
	Moritur.	helmus.	
	XX.	Anglus, sive	
	Arnerus.	genere, sive	
	Hic cognomen-	cognomine,	
	to fuit Milldur	præfuit Eccle-	1432.
	.i. liberalis, Ges-	siæ Holensi.	
	sit una præfe-	XVII.	
	cturam Islan-	Godschalcus.	
	diæ	Mo-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenſes.	Anno Christ.
	diæ totius: E-	Moritur.	1457.
	piſcopatũ Scal	XVIII.	
	holtenſem, &	Olaus Røgwal-	
	vice Epiſcopa-	di F.	
	tũ Holenſem.	Prædicti Got-	
1420.	Obiit.	ſchalchi ex ſo-	
	XXI.	rore nepos, u-	
	Ionas Gerick-	terq́ʒ, Norva-	1458.
	ſøn.	gus, eligitur.	
	Svecus ſive co-	Moritur.	1497.
	gnomento ſive	XIX.	
	natione præeſt	Godſchal-	
1432.	Eccleſiæ Schal-	chus.	
	holtenſi: ac po-	Demortui Olai	
	ſtea ob quædã	nepos ex fra-	
	nimis audacter	tre, et ille Nor-	
	tentata, à quo-	vagus, eligi-	
	dam Thorvaldo	tur eodẽ An-	
	de Mødruvøl-	no quo patru-	
	lum (ut fama	us deceſsit.	
	eſt) captus, &	Cathedram a-	1500.
	alligato ad col-	dit, ac per to-	
	lum ſaxo, in	tos 20. annos	
	amne	mul-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	amne Scalhol-	multos ex sub-	
	tensi, qui à pō-	ditis duriter	
	te nomen ha-	exercuisse fer-	
	bet, vivus sub-	tur.	
	mersus & strā-	Anno 1520.	
	gulatus est.	cum inter po-	
	XXII.	cula et volup-	
	Gosvinus.	tates conviva-	
1445.	Praeest Ecclesiae	les versaretur	
	Schalholtensi.	audiretque obi-	
	XXIII.	isse Ionam Si-	
	Sveno.	gismundum,	
	Dictus sapiens	quē cum vxo-	
1472.	praeest.	re & liberis	
	XXIIII.	multos annos	
	Magnus Ejol-	crudelissimè	
	phi F.	vexaverat, in	
1489.	Praeest.	subitum mor-	
	XXV.	bum repentè	
	Stephanus.	incidit, & sic	
1494.	Cathedram adit	paulò post,	
	Deinde Godt-	eam, qua in	
	schalco Episco-	tota vita in	
	po	mise-	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	po Holensi; qui crudelis nomē meritus esse videtur, Synchronos, similem cum illo clementiæ & justiciæ laudem reportavit.	miseros subditos vsus est, vim, cum miserabili morte commutavit.	
		XX.	
		Ionas Aræsonius.	
1519.	Moritur: aut circiter.	Cathedram adit: etiam hic Papisticarum superstitionū ultimus & acerrimus assertor. Qui, cum Gyssero & Martino Episcopis Scalholtiæ acriter resisteret, à pientissimo Rege Christiano	1525.
	XXVI.		
	Augmundus.		
	Eligitur anno obitus Stephani.		
1522.	Cathedram adit Hoc Episcopo præfectus regius cum comitibus aliquot Schalholtiam invitatus, in ipso convivio, à con-		

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenſes.	Anno Christ.
	conjuratis qui-	ano tertio ju-	
	buſdam inter-	betur ſub pæ-	
	fectus eſt, eò	na exilii pro-	
	quòd impiè	tinus in Da-	1548.
	paſſim in in-	niam adven-	
	colas & bona	tare.	
	ipſorum graſ-	Sed hoc negle-	
	ſatus eſſet. Aug-	cto, captum	
	mundus verò	Martinum	
	tanquam iſti-	Schalholtiæ	
	us cædis Au-	Epiſcopum	
	thor, quan-	cuſtodiæ	1550.
	quam ſe jura-	mandavit.	
	mento purga-	Tandem et ip-	
	rat, in Daniam	ſe à viro quo	
	transvectus,	dam magni	
	Obiit.	nominis,	
	XXVII.	quem prius,	
	Gyſſerus.	ut fertur, la-	
1540.	Eligitur viven-	ceſſiverat,	
	te Augmundo.	captus, ac	
1541.	Cathedram adit,	Schalholtiam	
	Papiſticarum	adductus, ibi-	
	tra-	dem	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	traditionũ abrogator circa	dem cum filijs duobus,	
	conjugium sacerdotũ: Ejus	Authoritate regij præfecti	
1544.	nuptiæ Schalholtiæ celebratæ.	capitis supplicio affectus est.	1551.
	XXVIII. Martinus.	In cujus ultionem, nõ multo post	
1547.	Præest, & sequentibus.	præfectus ille regius, cũ socijs aliquot, à	
	XXIX. Gislaus Ionas.	quibusdam sicarijs, decollatorum olim	
	Hic statim Augmundo Episcopo cæpit juvenis veræ pietatis & purioris	famulis, nefariè occisus est.	
	doctrinæ Euangelicæ studio,	XXI. Olaus Hialterus.	
	& amore flagrare, eandẽq;	Abit patria.	1552.
	pastor Ecclesiæ Selar-	Cathedram adit. Hic	1553.

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	Selardalensis	Hic primus sin-	
	diligenter pro-	cerioris doc-	
	pagare, qua ra-	trinæ, apud	
	tione Pontifi-	Holenses, a-	
	ciorum odium	morē in mul-	
	adeò in se deri-	torū animis,	
	vavit, ut illo-	etiam adhuc	
	rum insidiis ac	prædecessoris	
	rabiei cedere	sui collega,	
	coactus, Ham-	accendit: De-	
	burgum se con-	inde eandem	
	tulerit, unde	doctrinam E-	
	Haffniam Da-	piscop⁹ aper-	
	norum profe-	tius docuit &	
	ctus, in cœpto	propugnavit.	
	veræ Theolo-	Moritur.	1568.
	giæ studio stre-	XXII.	
	nuè pergens, in	Gudbrandus	
	multorū, præ-	Thorlacius.	
	cipuè verò in	Ille non modò	
	summa D. D,	suæ ætatis, sed	
	Petri Palladij,	& posteritatis	
	tum temporis	ornamentum:	
	K Epis-	K Qui	

Anno Christ.	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	Episcopi, fa-	Qui præter-	
	miliaritate &	quam quod in-	
	gratia vive-	choatum opus	
	bat. Postea,	à prædecessore	
	inde in patri-	Olao sibi reli-	
1556.	am reverso,	ctum ducente	
	Martinus	S.S. optimè ad	
	sponte cessit.	eam, quàm de-	
1587.	Moritur & hic	dit Deus perfe-	
	31. annos plus	ctionem, dedu-	
	minus Evan-	xit. (Dico labo-	
	gelium IESV	res et diligenti-	
	CHristi pro	am in asseren-	
	fessus: Nec	da veritate E-	
	tantum viva	vangelica, &	
	voce, sed &	Papisticis su-	
	quocunque de-	perstitionibus	
	mum potuit	abrogandis) e-	
	modo, do-	tiam in hac pa-	
	cendo, dicen-	tria sua offici-	
	do, scriben-	nam Typogra-	
	do, re & con-	phicam primus	
	silio Ecclesi-	Islandorum a-	
	am	peru-	

Anno Christ	EPISCOPI Schalholt:	EPISCOPI Holenses.	Anno Christ.
	am DEI ju-	peruit. Cui id-	
	vit et promo-	circo patria in-	
	vit.	ter libros com-	
	X X X.	plures in lin-	
	Otto Enerus,	guam vernacu-	
	vir gravis,	lam translatos,	
	pius & eru-	etiam sacrosan-	
	ditus.	cta Biblia, ele-	
1588.	Electus abit	gantissimis ty-	
	patria.	pis Islandica	
1589.	Ordinatur :	lingua in offici-	
	Redit & Ca-	na ipsius excu-	
	thedram a-	sa, in æternum	
	dit, suscep-	debebit.	
	tiq; muneris	Hic inquam E-	
	labores ag-	piscopus præ-	
	greditur.	sens, officium	
		suscepturus	
		Abit: Redit &	1570.
		Cathedram	
	K 2 Cir-	Holensem in-	1571.
		greditur.	
		K 2 Cir-	

CIRca hæc igitur tempora mentibus nostris è cœlo reddita lux est, & regni cœlestis janua per sinceriorem doctrinæ Christianæ expositionem reserata. Nam & Schola trivialis in vtraq; sede Episcopali, laudatißimi Regis Daniæ Christiani tertij munificentia & pietate, circa annum 1553. fundata est: ac subinde patris Christianißimi eximiam pietatem imitante filio, Divo FRIDERICO II. Rege nostro sanctißimo, Anno 1588. ad cœlestem patriam evocato, aucta & promota: Quæ etiam hodie, clementißimi regis & principis nostri, Christiani IIII. favore & nutu viget floretq;: in quâ juventus nostræ Insulæ, artium dicendi & sacræ Theologiæ rudimentis imbuta, ad scientiam & veram pietatem formatur, ut hinc ministri Ecclesiarum petantur.

Pervenimus tandem ad hodiernum usq; diem in Episcoporum Islandiæ catalogo: quo prædicti viri clarissimi Dn. Gudbrandus Thorlacius, & Dn. Otto Enerus, ille Holis, hic Schalholtiæ, Ecclesiarum sunt antistites: Quorum utrumq;, ut Deus opt. max. Ecclesiæ suæ sälvum & superstitem, propter gloriam nominis sui sanctissimi diu conservare velit, omnes seriò & ardentibus votis flagitamus.

SECTIO SECVNDA.

Specus habitant plærumq;, aut ad montium latera in excavatis mansiunculis. Et mox: Templa habent multa & domos ex ossibus piscium & balenarum constructas. Idem: Multi etiam ad pellendam frigoris asperitatem in cavernis latitant, quemadmodum Africani, ad Solis æstum Munst. Krantzius.

vitandum. Item: Munſterus, Multi in Islandia, hodie coſtis & oſſibus balenarum, domos ſuas conſtruunt, &c.

Hic membrum ſecundum initium ſumit, de incolarum vivendi, ratione & moribus. Et primùm, quibus utantur ædificiis ſeu domibus: nempe ſecundum Munſterum, Krantzium, Friſium, &c. Specubus & montium Cavernis. *Quamvis autem in ſplendidis ædificiis, aliisq́ id genus mundani ornatus precioſis rebus, parum ineſt, quod ad verè beatam vitam conferre queat: Tamen nec hic veritatem tacere poſſumus: Dicimusq́ omnino Coſmographos & Hiſtoricos in errore etiam hîc verſari. Etenim, cujuſmodi gentis publica domicilia eſſe ſcribunt, ea ſunt tantùm in paucis locis tum maga-*

magalia, ut opilionum, tum piscatorum casæ & receptacula, eo tantum anni tempore, quo piscaturæ operam dare, aut propter gregem excubare opus habent. At ipsas domus, seu ipsa hominum domicilia, antiquitus quidem satis magnificè & sumptuosè, quoad hujus terræ fert conditio, ligno cespite & saxis habuerunt Islandi constructa, usq; ad illud tempus, quo illis cum Norvagis, qui ligna sufficiebant, negociatio, & mercium commutatio esse desiit, quæ inde paulatim collabi incipiunt: Cum nec sylvas ædificiis aptas habeamus, nec fluctuum maris beneficio jam, ut olim, ad littora, quod minima ex parte sufficiat, adferatur: Nec mercatores extranei inopiæ nostræ succurrant. Unde plurima rura ignobiliora ab antiqua illa integritate multum

declinarunt, & jam quædam collapsa sunt, quædam ruinam minantur. Nihilominus multa sunt prædia, multæ villæ, quas haud facilè recensuero, quarum ædificia, veterem illam excellentiam imitantur, & quarum domus sunt maximæ, & latæ & longæ, tum plerumq; benè altæ. Vt exempli gratia. Prædia seu villæ, quæ cubilia habent, plusquam 50. cubitos longa, 10. lata, alta 20. Tum reliquas domus, ut cænaculum, hypocaustum, penuarium &c. huic sua proportione respondentes. Possum multa nostratium ædificia ampla & vasta, nec in speciem deformia, nec ob artis structuram & sumptuosam firmitudinem, seu robur, contemnenda, cum aliquot delubris, sive sacris ædibus, solis lignis, antiquâ & operosâ gravitate & pulchritudine exstructis commemorare: Cujusmodi est templum Cathedrale Holense,

atrium

atrium habens, cujus columnæ utrinq; quinq; ulnas 14. altæ, 5. circiter crassæ: Tum trabes ac tigna, & reliquum culmen, huic substructioni proportionaliter respondens. Ligna ad hoc ipsum atrium, Anno 1584. horrendâ tempestate collapsum, clementissimus Rex noster D. Fridericus, cujus nobis sacratissima est memoria, Anno 1588. benignissimè largitus est. Ipsum verò templum, atrium suum omni quantitate manifestè excedit: tum templi intima pars, quæ chorus appellari solet, & templi meditullio, & atrio, magnitudine nonnihil cedit. Erat autem hoc longè majus olim, ut accepi, Schalholtense, quod jam bis concrematum, ad inferiorem magnitudinem redactum est. Præterea aliquot alia templa nostræ Insulæ, horum antiquam magnificentiam imitantia, licet non æquantia. Sed hîc nequaquam res exigere

videtur, vt in prolixiorem ejus rei descriptionem evager. Vt enim domus & ædificia nostra nihil deprædicamus: ita eorundem nos nihil pudet: quòd contenti paupertate nostrâ, Christo gratias immortales agamus, qui à nobis, vili tecto non dedignatur recipi, quodq; templa & domus nostras, quas Munsterus, Krantzius & Frisius piscium & balenarum ossibus non verè dicunt exstructas, non aspernetur, magis quàm illa extraneorum culmina marmorea, parietes vermiculatos, pavimenta tessellata, reliquúmq; id genus ornamenti.

SECTIO TERTIA.

Communi tecto, victu, statu,
Krantzius. (Hîc Krantzius habet, strato)
gaudent cum jumentis. Item:
Solo pastu pecorum & nunc
Munst. captura piscium victitant.

Hæc



Æc sunt et sequentia, quæ Krantzius suo Munstero, præmansa, in os ingessit, adeò, ut Munstero non opus fuerit, ea vel semel masticare, quod ex collatione vtriusq́ patet. Munsterus enim hæc opprobria, ut, ex Krantzij in suam Norvegiam præfatione hausta, deglutierat, ita eadem cruda lib. 4. Cosmographiæ capit. 8. in gentem nostram evomit. Quæ hactenus fuerunt, etsi satis gravia sunt, tolerabiliora tamen erunt: Hoc verò commentum malignissimum, & quæ sequentur, non facilè est, sine stomacho præterire. Nostrum igitur est, etiam hîc veritatem asserere, et mendacium in Authoris caput retorquere.

Tecto:) *Primùm igitur quod de communi tecto, (uti etiam de victu*

&

& statu) cum jumentis dicunt, falsum & erroneum clamamus, teste non modò re ipsa, si quis id hodie perquirere volet: Sed etiam multorum extraneorum, qui aliquot apud nos annos egerant, & veritati plusquam gentem nostram calumniandi affectui tribuunt, experientiâ; qui ipsi domos & habitationes nostras viderunt, & norunt in singulis prædiis sev. villis, multas esse distinctas domus: nempe in abjectissimis & vilissimis 7. vel 8. in majoribus, nunc decem, nunc 20: In maximis, nunc 40, nunc 50; quæ ut plurimùm, & tecto & parietibus distinctæ, uni possessori vel domino, rarò duobus aut tribus, rarissimè pluribus inserviunt, ac usibus quotidianis & domesticis sufficiunt. Unde facilè intelligis Lector, quàm verè eodem tecto *cum jumentis utantur Islandi, cum singuli, rustici in hac domuum varietate, peculiaria bovilia,*

lia, ovilia, equilia, agnilia, debitis intervallis dißita habeant, quæ servi, quoties opus est, petunt, unde rursus habitationem subinde repetunt.

Quòd autem quidam, in mappâ Islandiæ, de provinciâ, Skagefiørd *annotavit:* ſub eodem tecto homines, canes, ſues & oves, vivere, *partim falſum, partim minimè mirandum eſt. De ovibus quidem, ut jam dictum eſt, & præcipuè ſuibus (cum illa provinciâ ſues non habeat) falſum: De canibus haud mirum, cum illis nec regum aulæ caruerint nec hodie careant, ut nimis omnibus eſt notum. Sed de canibus paulò poſt. Sect. 7. hujus.*

Victu.) *An jumentorum pabula poſſint commodè victus appellatione contineri, meritò dubitaverim: Cum Doletus, Ciceronis interpretem agens, dicat: Victum, inquit, cum jureconſultis, ita exponemus,*

nemus, ut victus verbo contineantur, quæ esui, potui, cultuiq; corporis, quæq; ad vivendum homini sunt necessaria. Et Vlpianus, de verborum significat. iisdem verbis victum definit. Hoc loco verò Authores illi, etiam jumentorum pabula, victum appellant.

Cæterum videamus quomodo hîc eluceat veritatis & candoris præstantia. Iumenta non habemus præterquam equos & boves: His gramina & fœnum (nisi ubi fœni inopia obrepit) pabulum, aqua potum præbet. At hi ipsi scriptores fatentur, Islandos piscibus, butyro, carnibus, tum bubulis tum ovillis, etiam frumento, licet pauco & adventitio, vivere. Non igitur cibum habent cum brutis communem, quod tamen iidem his verbis asserunt: Communi victu gaudent cũ jumentis: *Quod quid sit Munstero, ipse paulò superius haud obscurè*

docu

docuit. Islandia, *inquit,* populos multos continet, solo pecorum pastu, & nunc capturâ pisciũ victitantes. *Quid autem est pecorum pastus, aliud, quàm pecorum cibus? ait, Doletus: nisi Munsterus fortè pecorum pastum, ipsa pecora ad pastum hominum mactata appellet: Cui, ut existimo, usus Romanorum refragatur, qui, ut homines vesci, ita pecora pasci docuit: Hominumq́ victum, pecorum autem, pastum & pabulum vocari jussit. An verò existimem tam dementes fuisse Munsterum & Krantzium, ut senserint Islandos graminibus & fœno vivere? Quo miseriæ Nabuchodonosor, divinæ ultionis jugum subiens, redactus est. Dani. 4. & 30. Facilè dabimus multa, quibus homines, non modò nostrates, sed vestrates quoq́ vescuntur, jumenta & pecora fortè non rejicere, si familiari pabulo destituantur. Vt equi frumen-*

frumento & panibus hordeaceis pascuntur: iidem lac (quemadmodum etiam vituli & agni) & cerevisiam, si offeratur, bibunt, & quidem avidè. Sed & canes quævis fercula & cibaria devorant. An idcirco quisquam dicet, homines communi victu cum canibus & jumentis gaudere?

Iam quæcunq; famis grassantis tempore contigêre, pro universali gentis alicujus consuetudine, in historiam referri non debent. Vt non licet nobis de extraneis scribere, hujus aut illius terræ populos canum, murium aut felium usu victitare solitos, etsi fortè fame, sive obsidione, sive alioqui annonæ caritate invalescente, immissâ, id factitarint.

Potum autem interdum esse multis cum jumentis communem non magnoperè contraibimus: nempe aquam lympidissimam, naturalem illum potum, omnibus

bus animantibus à Deo creatum: quem etiam ex parte, medicinæ consulti commendant, imò nec patres Hebræj, nec ipse Servator noster fastidiebat.

Ad amictum verò quod attinet, (Nam et amictum victus *vocabulo comprehendimus) nequaquam hic cum jumentis communis est. Illa enim pilis & villis natura (quod Munsterum & Krantzium novisse jurarim) vestivit: Homines alioqui nudi, pannis corpus induere necesse habent. Hæc indumenta, quæ quidem Islandia suppeditat, ex lanis ovium conficiuntur. Sed non cogitaram ideo rectè dici, amictum esse nobis cum ovibus communem, sive eundem. Vtuntur etiam extranei pannis ex ovilla lanâ confectis, licet artificio subtiliore. Sed de indumentis nihil: Stultum enim est, ex eo laudem vel superbam æstimationem quærere,*

quod naturæ nostræ infirmitatem ar-guit.

Statu) *Restat ille status, quem cum brutis habere communem dicimur. Qui qualis aut cuiusmodi sit, aut eum esse velint nostri scriptores, certè non facilè assequor. Status, inquit Doletus, est vel corporis, vel causarum, vel ordinis & conditionis. Certè alium esse statum nostri corporis, quàm jumentorum (nam præter duos pedes etiam manus habemus, & corpore ac vultu sursum erecto incedimus) alium item ordinem & conditionem nostram ducimus. Illi boni viri, si id de se aut aliis cognitum habent, fateantur. Nos hæc tam vana & in Deum creatorem nostrum tam contemtibilia irridemus, nec prolixiore tractatu dignamur.*

Cæterum quia nostrum est, nec amori patriæ, nec ulli rei tantùm tribuere, quin

plus

plus semper & ubiq; veritati largiamur: Dicam quid sit, quod huic infami scriptorum convicio occasionē fortè dederit.

Sunt in vicinia Schalholtiæ*, ad littus Islandiæ australe, parochiolæ tres, inter duos rapidissimos amnes* Thiorsaa *&* Olffwis Aa/ *interceptæ; quæ & sylvis & cespitibus, consueto gentis ad focos alendos fomite, ferè destituuntur. In istis parochiis habitantes, & si qui sint vicini, quamvis plures eorum, ut de omnibus rebus, ad rem familiarē pertinentibus, ita etiam de his, quæ ad focos & balnea opus habent, sibi oportunè prospiciunt: Tamen sunt inter eos quidam, sed infimæ tantum sortis coloni, qui quoniam istis rebus domi destituantur, nec aliunde petere eas valeant, in culinis fœno ad coquendos cibos utuntur: Ast ubi hyemis nivosæ sævitia horrida ingruit, coloni isti miseri ad suum bovile, refugiunt,*

illic ſcilicet exſtructis tabulatis interdiu operas domeſticas exercentes, à bobus, cum focos habere nequeant, calorem mutuantur, quemadmodum mihi ab aliis narratum eſt: Sicq́; illi tantùm, qui ſanè pauciſſimi ſunt, communi cum bobus tecto, in brumâ, uti quidem non gaudent, ſed coguntur. Verùm victum & ſtatum longè alium habent, de quâ re hactenus. Hæc eſt in iſtis Parochiolis quorundam ſors & inopia, quarum conditio idcirco etiam apud nos fabula vulgi effecta eſt, quamvis non ſatis juſtè. Vbi, quo jure toti genti tribuatur, quod vix ac ne vix quidem de iſtis paucis colonis verum eſt, libenter quæſierim? Tædet de his pluribus agere: Tantùm quia mihi cum Theologis res eſt, illud Salomonis *iis reponam.*

Prouer. 14. *Qui calumniatur egenum, deridet factorem ejus.*

Equi.

Equidem quia gens hæc nostra pauper & egena est & fuit, ac veluti quidam mendicus inter divites, tot extraneorum probra & scommata tulit. Sed videant cui exprobrent. Certè, si aliud nihil nobis cum illis commune est, tamen omnes ex iisdem constamus elementis, Et unus & idem omnium Pater, Deus.

SECTIO QVARTA.

In simplicitate sancta vitam agunt, cum nihil amplius quærant, quàm natura concedit. Beata gens, cujus paupertati nullus invidet. Sed mercatores Anglici & Dani quiescere gentem non sinunt, qui ob piscaturam evehendam terram illam frequentantes cum mercibus omnigenis vicia quoque nostra invexerunt. Nam & fruges aquæ miscere in potum didicerunt, & simplicis aquæ haustus oderunt. Nunc aurum Krantzius. Munst.

rum & argentum cum noſtris admirantur.

Simplicitate,) *Equidem ſanctæ ſimplicitatis laudem nobis attribui, meritò gaudemus: Sed id dolemus, quòd reperiatur etiam apud nos juſtitiæ ac legum ingens depravatio, ac magna anarchia, quam multorum ſcelerum myriades conſequuntur; quod pii & boni omnes quotidiè deplorant. Id mali autem nequaquā ſupremi Magiſtratus, hoc eſt, Regis noſtri clementiſſ: ſed veriùs noſtrapte culpâ accidit: qui hæc, quæ clàm ipſo præpoſterè geruntur, & quæ in inferiore magiſtratu deſiderantur, ad majeſtatem ipſius non deferimus.*

Mercatores,) *Mercatores porrò, non ſolùm Angli & Dani, ſed maximè Germani; ut nunc, ita olim terram noſtram, non ob* piſcaturam *ſed piſces*

ave-

avehendos frequentantes, nequaquàm artem illam, miſcendarum frugum aquæ, Iſlandos docuerunt. Quippe ipſi Norvagi primi, quòd nobis conſtet, terræ noſtræ incolæ, à quibus oriundi ſunt Iſlandi, artem illam, ſicut etiam aureos argenteosq́ nummos, ſecum ex Norvegia attulerunt; ut initio non fuerit minor argenti & auri uſus apud nos, quàm eſt hodie.

Et quidem ante Danorum, Germanorum, Anglorumvè frequentes ad nos navigationes, terra noſtra multò, quàm nunc, ſeneſcentis mundi incommoda cœlo ſoloq́ perſentiens, fertilior, in delectiſsimis quibusq́ locis, cereris munera produxit.

SECTIO QVINTA.

Rex Daniæ qui & Norvagiæ quotannis præfectum immittit genti. Munſt. Krantzius.


Nno Domini 846. natus est Haraldus Harfagre/ *(quod auricomum vel pulchricomum dixeris) Qui deinde, Anno 858. Rex Norvagiæ designatus, ubi ætas viresq́ justum incrementum acceperunt, formam imperij Norvagici mutavit. Nam antea in minutas provincias divisum (quas* Fylki/ *vocabant, &, qui his præerant, regulos,* Fylkis Konga/) *ad Monarchiam armis potentibus redegit. Id cum & genere & potentiâ valentes aliquot regni incolæ ægrè ferrent, patriâ exulare, quàm ipsius Tyrannidis jugum non detrectare maluerunt. Vnde hi in Islandiam, antea quidem à quibusdam visam & inveniam, at desertam tamen, colonias, dicto superius Anno 874. transtulerunt: Atq́ sic genti nostræ originem præbentes, se Islandos nuncuparunt,*

quod

quod nomen hodie posteri retinent. Vixerunt, itaq; Islandi diu, nullius imperium agnoscentes, annis scilicet 386. plus minus. Et quamvis Rex Norvagiæ, Haquinus ille coronatus, qui omnium Regum Norvagiæ diutissimè, nempe plusquam 66. annos imperium gerebat, sæpe per legatos tentarat tributarios sibi facere Islandos, constanter tamen semper restiterunt, donec tandem circa annum domini 1260. homagium ipsi præstarent. Atq; postea semper in data fide persistentes, & regibus Norvagiæ parentes, translato per Margaretam, Daniæ Sveciæ & Norvagiæ Reginam, Norvagorum imperio, ad Danos, unâ cum reliquis imperij Norvagici Insulis, Serenissimum Daniæ Regem, Dominum & Regem suum hodie salutant.

SECTIO SEXTA.

Krantzius. Munst.

Omnia inter eos communia sunt, præter Vxores.

Hoc loco præmittit Krantzius talem Ironiam.

Multa insignia in moribus illorum, &c. *Porrò etiam hîc fidem vestram elevat, ingenium, ad asserendum res incompertas, nimis proclive: accusat cupidinem novitatis, & nominis ac famæ, imò veritatis curam præposteram arguit, omnium & rerum personarumq; & temporum experientia: O scriptores suspiciendi.*

Testes sunt leges politicæ, quibus inde ab initio cum Norvagis usi sunt eisdem Islandi: De Rege & subditis: De foro, & his quæ in forensem disceptationem cadere possunt: De hæreditatibus: Adop-

adoptionibus, nuptiis, furto, rapinis, mutuo, contractibus & cæteris: Quæ omnia, quorsum illis, quibus res omnes sunt communes? Testes sunt, tot de bonis mobilibus & immobilibus contentiones, turbæ & certamina, in foris ac judiciis Islandorũ: Testes sunt Reges nunc Daniæ & olim Norvagiæ, qui tot libellis supplicibus Islandorum, ad componendas istas de possessionibus controversias, olim & nunc interpellati sæpè fuerant. Testis contra seipsum Krantzius, cujus verba distinction. .1. hujus, hæc fuerunt. Ante susceptam CHristi fidem *(Islandi)* lege naturali viventes parum à lege nostra discrepabant, &c. *Si lege naturæ, certè lege illa justiciæ, quæ tribuit vnicuiq; suum: Si lege justiciæ, certè proprietatũ et dominiorũ distinctiones in nostra gente locum habuisse oportet: Quanquã autem in hanc ipsam legem etiam in*

Eccle-

Ecclesia, & quidem satis atrociter, sæpe delinquitur: tamen & Ecclesia & Ethnici justißimam & optimam esse semper faßi sunt.

SECTIO SEPTIMA.

Catulos suos & pueros æqvo habent in precio: Nisi qvòd à pauperioribus facilius impetrabis filium quàm catulum, &c.

QVamvis principio hujus commentarioli censuerim, Munsterum & alios magni nominis viros, in ijs, quæ de Islandia scripta reliquerunt, esse à calumniæ nota liberandos: Num tamen id hîc, etiam à candidißimo & maximè sincero quocunq; fieri poßit, non satis video. Quid enim movit tantos viros, ut Nautarum malevolas nugas & mendacia secu-

secuti, tam atroci & contumelioso opprobrio gentem nostram diffamarent, commacularentq́? Nihil profectò, nisi secura ridendi & contemnendi gentem pauperem & ignotam, licentia, & si quæ sunt huic vicia confinia.

Cæterum norint omnes non tam Islandis, quàm ipsis Authoribus, incommodare hoc mendacium. Cum enim illud, & plurima etiam alia, in Historiam suam accumulant, efficiunt unà, ut alibi quoq́ suspectæ fidei habeantur: Illudq́ quod ait Aristoteles, lucrantur, vt cum vera dixerint, illis sine suspicione non credatur.

Sed age Lector, subsiste paulisper, mecumq́ gravitatem & sapientiam tantorum virorum expende: Ne tantùm Islandiæ Elogium intactum prætereamus. Docuerunt hactenus Krantzius & Munsterus. Islandos esse Christianos.

nos. Item: Islandos ante susceptam CHristi fidem lege naturali vixisse. Item: Islandos vixisse lege quadam non multum à lege Germanorum discrepante. Item: Vixisse eos in sancta simplicitate. *Adesdum igitur Lector, & quas Christianismi, Legis naturalis, Legis Germanorum, sanctæ simplicitatis notas Authores illi requirant, & in Islandis monstrent ac depingant, perpende. Vna fuit supra, quòd infernum sive carcerem damnatorum, montis Heclæ voragine & radicibus circumscribant Islandi; de quo vide. Sect. 2. hujus: & Sect. 7. prior. part. Altera nota, quòd, cum Anabaptistis, proprietatum & dominiorum distinctiones tollant: de quo Sect. præced. Tertia eaq; longè excellentissima hæc est, illi præclari affectus naturales, amor, cura, & animus tam pius & paternus Islandorum in liberos, quòd videlicet ejusdem precii sint apud*

1. (margin, beside "perpende")
2. (margin, beside "hujus")
3. (margin, beside "quo Sect.")

apud illos canes & filii, aut hi etiam vilioris. Siccine nobis Munstere & Krantzi Legem CHristi, naturæ, Germanorum, & sanctam simplicitatem *depingitis? O picturam præclaram & excellentem, quamvis non prorsus Apellæam: O Inventum acutum & admirandum, si benè authenticum: O scientiam plusquàm humanam, etsi non prorsus divinam.*

Nos verò Islandi, quamvis ultimi & gelidam conclusi ad Arcton, longè alias Christianismi notas requirimus. Nam & præceptum Dei habemus, ut quilibet proximum diligat velut seipsum. Iam nemo est puto, qui se ipsum non plus diligat, aut pluris faciat, quàm canem. Quod si tantus esse debet proximi cujuslibet favor, tanta æstimatio, tantus amor, quantus quæso erit in liberos? quorum arctissimum amorem, præterquam

quòd

quòd ipsa parens natura, nobis firmißimè conciliavit, etiam Lex divina curam summam in enutriendo habere jußit. (Exod. 12. 24. Ephes. 6. 4.) ut scilicet sint in sancto conjugio, Ecclesiæ quædam seminaria, omnis pietatis & honestatis exercitia: Prout vates ille pulcerrimè cecinit.

Vult Ecclesiolam quamlibet esse domum.

Item:

Conjugium humanæ quædam est Academia vitæ.

Vt jam satis constet, apud Christianos longè pluris faciendos & curandos filios, quàm canes: Et, si qui non aliter curent, Christianos non esse.

Sed & hic in prolem dulcißimam affectus naturalis, in Ethnicis etiam satis apertè conspicitur: vt si quos hoc penitus exueris, eosdem etiam homines esse negaveris. Monstrant id matres Carthagi-

thaginenses, cum tertio bello punico adolescentes quiq; lectissimi, obsides in Siciliam mitterentur, quos illæ fletu et lamentatione miserabili ad naves comitatæ, & ex his quædam à filiorum complexibus ægrè divulsæ, cum ventis pandi vela cernerent, navésq; è portu egredi, dolore stimulante, in subjectos fluctus dissiluere; Sabellico Authore. Monstrat Ægeus, qui navem filii Thesei, cum velis atri coloris, ex Cretâ redeuntem cerneret, periisse filium ratus, vitam in proximis undis finivit. Sabellic. lib. 3. cap. 4. Monstrat Gordianus, senior Africæ proconsul, qui similiter, ob rumores de morte filij, vitam suspendio clausit. Campofulgos. lib. 5. cap. 7. Monstrant idem Iocasta Creontis filia, Auctolia Sinonis F. Anius Tuscorū Rex, Orodes Rex Parthorum, & alii numero innumero: De quibus vide stat. lib. 2. Plutarchum, &

alios, &c. Huc illud: Amor descendit, &c. *Adeò, ut videas non minus esse homini proprium, sobolem intimè diligere, & summo amore prosequi, quàm aui volare; ut si jam aliquando homines esse Islandos, nedum Christianos scriptores nostri fassi sint, hunc amorē & affectum in filios iisdem, quantūvis inviti & repugnantes, adscribant: sin minus, non modò hominis titulum & dignitatē illis detrahant, sed etiam infrà bruta & quasvis bestias, quæ ipsæ, stimulante naturâ, maximo prolis suæ & arctissimo amore tenentur, deprimant.*

Non *addam contra hoc impudens mendacium, exempla etiam nostratiū satis illustria: Tacebo leges nostras plagiarias, ipsis Islandis antiquiores, quippe à* Nor*vagis acceptas, quæ exstant in codice legum nostrarum, titulo* Mañhelge: *cap. 5. Si quis hominē liberum (quemvis, nedum filium) extraneis vendat, &c.* *Iam*

Iam verò si quis eò fortunæ deveniat, ut proprium filium, siue incolæ, siue extranei alicujus potestati, vel fame vel extrema quacunq; urgente necessitate, aut periculo, permittat, ne famelicum inediâ deficientem aspicere cogatur, canem verò in proprias dapes reservet, Is minimè dicendus est, filium æquo aut inferiore loco habere quàm canem, siue id faciant Islandi, siue extranei quilibet.

Offenderant fortè Germanorum vel Danorũ nautæ apud nos mendicos quosdam, liberis onustos, quorum hîc maximus est numerus, qui jocando, ut sunt nugis scurrilibus addicti, dixerint: Da mihi aut vende hoc vel illud: Cumq; rogarint extranei: Quid tu mihi vicissim? Responderint mendici. Habeo liberos 10. vel 14: dabo ex eis unum vel plures, &c. Solet enim ista mendicorum

colluvies istiusmodi scurriles dialogismos cum extraneis instituere. Quod si tum quispiam bonus vir, misertus stoliditatis & inopiæ mendicorum, uno illos filio levaverit, eiq; propter DEVM in aliis terris, aliquo tandem modo benè prospexerit, num mendicus, qui alioqui cum filio, fame & paupertate moriturus, filium miserenti permittit & committit, filium istum suum minoris facit quàm canem? Præstitum est à multis tàm Islandis quàm extraneis hujusmodi benevolentiæ & commiserationis opus: ex quibus fuit vir nobilissimus Accillius Iulius, à Serenissimo Rege Daniæ olim missus ad Islandos, Anno Domini 1552. Qui ut audivi, 15. pueros pauperculos assumpsit & secum in Daniam avexit: Vbi postea ipsius beneficio singulos suo vitæ generi addictos, in viros bonos & frugi evasisse, mihi narratum est.

Quod

Quod si quis, in extrema constitutus angustia, filium non modò vendat; sed, si emptorem non habet, ipse mactet & comedat? Nota sunt hujus rei exempla: Parentum videlicet invitæ crudelitatis in filios, stimulante non odio vel astorgia, sed inevitabili necessitate compellente. Num quis inde universale gentis alicujus convicium exstruxerit? Legimus, in obsidione Samariæ matres duas filios suos mactasse, & coctos comedisse: 4. Reg. C. 6. Legimus, in obsidione Ierosolymitanâ, quam flebilis fuerit vox miserrimæ matris, filium misellum jam mactaturæ. Infans ait, (*referam enim Eusebij verba de hac re, etsi notissima, ut miseræ matris affectus appareat,*) miselle & infelix, cuinam in hoc belli, famis, & seditionis tumultu, te commodè reservem? Si Romanorum subjiciamur imperio, illic servitutis jugo pressi, vitam infeliciter exigemus.

Sed servitutem credo fames antevertet. Accedit factiosorum prædonum turba, his vtrisq; miseriis toleratu multo asperior. Age igitur mi gnate, sis matri cibus, sis prædonibus furia, sis communi hominum vitæ fabula, quæ res una ad Iudæorum calamitates deesse videtur. Quæ cum dixisset, natum trucidat, assatumq; dimidium mox comedit, dimidium reservat, &c. Euseb. lib. 3. cap. 6. *Iam quis est, qui non credat miserrimam hanc matrem filium hunc suum, domini alicujus, si se obtulisset, apud quem credidisset servatum iri, aut emptoris possessioni fuisse permissuram? Nota est fames, Calagurium, Hispaniæ urbem, olim à Cn. Pompejo obsessam, opprimens (Val. lib. 7. cap. 7.) cujus civibus, vxores & libri in usum extremæ dapis conversi sunt, quos profectò, pro cibariis & aliis dapibus haud inviti vendidissent. Nota est quoq; fames,*

fames, quæ anno domini 851. (Vincent. lib. 25. C. 36.) Germaniam attrivit, ut etiam pater filium suum devorare voluerit. Notum etiam est, post mortem Henrici Septimi Imperat. fame per triennium continuatâ, quomodo parentes liberos, vel liberi parentes devorarint, & præcipuè quidem in Poloniâ & Bohemiâ. Et, ne exempla tantùm antiqua petamus, accepimus tantam annonæ sævitiam, Anno 1586. & 1587. in Vngaria grassatam fuisse, ut quidam alimentorum inopiâ adacti, immanissimo Christianorum hosti proprios liberos vendiderint, & in perpetuum servitutis jugum manciparint, Quidam parvulos suos, quos ulterius tolerare non sustinebant, crudeli misericordiâ in Danubium projecisse, & suffocasse dicantur. Sed, num hæc & similia exempla, quempiam eò

insaniæ adigent, ut dicant hanc vel illam nationem, liberos in escam propriam mactare consuevisse, Turcis libenter vendere, aut aquis submergere & suffocare solitam esse? Non opinor. Sic neq; quòd mendici apud Islandos, extremâ urgente necessitate, cujus durissimi sunt morsus, filios suos libenter amittant, toti genti, & quidem probri loco, communiter adscribendum est à quoquam, nisi apud eundem omnis pudor, candor, humanitas, veritas, exulent.

Cæterum optarim ego, parcius Islandis canum curam exprobrare illos populos, quorum matronæ, & præcipuè nobiles, canes in maximis deliciis habent, ut eos vel in plateis, ne dicam in sacris concionibus, sinu gestent, quem morem in peregrinis quibusdam, quos Romæ Catulos Simiarum & Canum in gremio circumferre, Cæsar conspexit, hac quæstione reprehen-

prehendit, dum quæreret : Numquid, apud ipsos mulieres liberos non parerent? Monens errare eos, qui à natura inditos sibi affectus, quibus in amorem hominum ac præcipuè sobolis incitarentur, in bestias transferunt, quarum deliciarum voluptas, Islandorum gentem, nunquam cæpit aut habuit. Quare jam Munstere & Krantzi, alias nobis Christianitatis, (ut sic dicam) legis naturæ, legis item Germanorum, & sanctæ simplicitatis notas quærite.

SECTIO OCTAVA.

Episcopum suum colunt pro Rege: ad cujus nutum respicit totus populus. Quicquid ex lege, scripturis, & ex consuetudine aliarũ gentium constituit, quàm sanctè observant. Krantzius. Munst.

FVit equidem initio ferè ad repurgatam Euangelij doctrinam maxima Episcopi obseruantia; sed nunquam tanta ut exteris legibus aut consuetudini cederent nostræ leges politicæ, ex nutu Episcopi. Nec tempore Alberti Krantzij, multo minus Munsteri (quorum ille 1517, hic 1552: post partum salutiferum decessit) Episcopi Islandorum regiam obtinuerunt authoritatem, cum scilicet multi ex ijs, qui divitiis paulò plus valebant, adversus ipsos consurgere non dubitarint; quæ res apud nostrates liquidò constat. Interim tamen Episcopi, anathematis fulmine terribiles, alios in suam potestatem redegerunt, alios furibunda sævitia id temporis persecuti sunt.

Porrò etsi tum fuit magna, imò maxima Episcopi observantia, tamen

nunc

nunc dispulsis tenebris Papisticis, aliâ ratione homines Satan aggreditur, eorumq́ mentes contemptus libertate & refractaria contumacia, adversus DEUM & sacrum ministerium, etiam hîc armare non negligit.

SECTIO NONA.

Illic victitant, plærumq́ piscibus, propter magnam penuriam frumenti, quod aliunde à maritimis civitatibus infertur: & qui inde cum magno lucro pisces exportant. *Item Munsterus.* Illic piscibus induratis vtuntur loco panis qui illic non crescit. **Munst.**

VIde Lector, quàm Munsterum juvet, eadem oberrare chordâ: ut cum de gente ignota nihil scribere possit, quod coloris aliquid habe-

habeat, vel falsa afferre, vel eadem sæpius repetere, sicq́; cramben eandem recoquere sustineat: Dixerat enim paulò ante, Islandos piscibus vivere. *Verba ipsius superius etiam recitata, hæc sunt.* Islandia populos continet multos, solo pecorum pastu & nunc capturâ piscium victitantes, &c. *Et ut cætera transeam in quibus leve quiddam notari poterat; Illud sanè* panem in Islandia non crescere, *perquam verum est. Quod etiam illi cum Germania commune esse crediderim, quòd videlicet nec illic panis crescat, nisi fortè in Munsteri agro, ubi etiam acetum naturale optimè crescit. Sed hæc troporum indulgentiâ, scilicet, salva erunt. Ad convicia autem quæ ex victu Islandorum petunt extranei, infrà paucis respondebitur, Sect.* 15.

SEC-

SECTIO DECIMA.

Incolæ res majorum et ſui temporis celebrant cantibus & inſculpunt ſcopulis, atq; promontoriis, ut nulla, niſi cum naturæ injuria, intercidant apud poſteritatem. Munſt. Krantzius.

Cytharædi, & qui teſtudine ludunt, apud eos reperiuntur quam plurimi, qui prædulci modulamine, & volucres & piſces irretiant & capiant. Friſius.



Vin veterum geſta aliquot cantibus & poëmatibus noſtratium, ut & ſoluta oratione, apud nos conſerventur, non negamus. Quòd verò à nobis aut majoribus noſtris eadem ſcopulis vel promontoriis inſculpta ſunt, eam non licet nobis, ut neq; illam tantam Citharædorum, aves aut piſces demulcentium, laudem,

dem, accipere. Statuimus enim animi esse generosi ac veracis, ut crimina falsa refellere, ita laudem immeritam sibi haud vendicare, nec, etsi quis tribuat, agnoscere.

SECTIO VNDECIMA.

SEd cum scriptoribus jam dictis, viris alioqui spectatæ eruditionis & præclari nominis, qui tamen hæc, ita inconsideratè, scriptis suis interseruerunt, actionis finis esto.

Et jam magna mei pars est exhausta laboris:

Sed restat tamen fœtus ille vipereus Germanicus, quem idcirco anonymum secundò partu mater edi voluit, ut venenatis aculeis nomen Islandorum tantò liberius pungeret.

Porrò licet adversus hanc bestiam in arenam descendere non dubitem, omnibus tamen constare volo, quonam hoc animo faciam, videlicet, non ut cum illius pestifera virulentia, conviciis aut maledicentiâ certem. Nam (ut est in trivіali paroemiâ.)

Hoc scio pro certo, quod si cum stercore certo,
Vinco, seu vincor, semper ego maculor.

Sed ut bonis et cordatis omnibus, etiam extraneis, satisfaciam, qui maledicentiã istam Germanicam lecturi vel audituri sunt, aut olim audierint, ne & hi nos meritò calumniam tantam sustinere credant: Tum etiam ut alios qui istis virulentis rhythmis Germanicis, in gentis nostræ opprobrium utuntur, & inde dicteria & contumeliosas subsannationes ad despiciendos Islandos petunt, ab illa mordendi licentiâ in posterum, si fieri poßit, abducamus. Ergò,

Ergò, ne longis ambagibus Lectori fastidium oratio nostra pariat, ad ea narranda accedam, quæ maledicus ille Germanus in suum pasquillum congessit: Quem etiam sua de Islandis carmina Encomiastica recitantem in his pagellis introducerem, nisi præviderem fœtum illum probrosum, tot & tam variis maledictis turgidum, omnibus bonis nauseam movere posse, ac sua spurcitiê ab iis legendis absterrere.

Referam igitur præcipua, (ijs scilicet omissis quæ cum aliis communia habet, atq; hactenus ventilata sunt) sed, quàm ille, longè mitius; ne, ut dixi, linguæ ipsius obscœnâ petulantiâ, aures bonæ & eruditæ offendantur: Qui ipsum videre aut audire volet, quærat apud propolas. Nobis, inquam, non est in animo putidâ ipsius calumniâ & conviciorum sentinâ, has chartas inquinare.

Primùm

Primùm igitur obiicit, Germanicus hic noster si Diis placet, Historicus: Multos ex pastoribus Islandiæ toto biennio sacram concionem ad populum nullam habere: *Vt in priore editione hujus pasquilli legitur, quod tamen posterior editio ejusdem refutat: Dicens, eosdem pastores in integro anno tantum quinquies concionari solitos: Quæ duo quam ritè sibi consentiant, videas bone Lector, cum constet Authorem mox à prima editione vix vidisse Islandiam. Ita scilicet plærumq; mendacium mendacio proditur, juxta illud:* Verum vero consentit: Falsum nec vero, nec falso. 1. Objectio seu cõviciũ.

Sed cum nostrum non sit veritatem usquiam dissimulare, nos haud negandum ducimus conciones sacras circa id tempus, quo iste Sycophanta in Islandia vixit, nempe Anno 1554. aut circiter multò fuisse rariores, quàm sunt hodie, tum

ſcilicet tenebris Papiſticis vix dum diſcuſsis. Quod etiam de Pſalmis Davidicis à vulgo latinè demurmuratis, ut idem noſtratibus exprobrat, intelligere eſt: Papiſtæ enim totam ſpem ſalutis in ſua Miſſa collocantes, de concione aut doctrina parum fuere ſolliciti. Poſtquam verò caligine illa exempti ſumus, aliter ſe rem habere, Deo in primis gratias agimus: Licet quorundam paſtorum noſtrorum tardam ſtupiditatem, ſegnitiem & curam præpoſteram non poſsimus omni modo excuſare. Quod utrum in nullos ſuorum popularium etiam competat, aliæ quoq; nationes viderint.

SECTIO DVODECIMA.

II. Cõvitiũ. Secundò calumniatur vitilitigator: Adulteria & ſcortationes non modò publica eſſe et frequentia ſcelera inter Islandos: ſed

sed ab iis pro scelere ne haberi quidem.


Tsi autem fœdissimæ istæ turpitudines etiam in nostra Repub. non prorsus inusitatæ sunt: tamen cum omnibus constet in aliis quoq; nationibus longè etiam frequentiores esse, cum ibi quoq; populi frequentia major, immeritò & malignè hoc nomine magis Islandos, quàm populos & gentes reliquas, quarum, ut dixi, nomen etiam plus nostratibus hoc crimine malè audit, notavit.


Et licet ex animo optarim longè minus ad scelera, & turpitudines in nostra patriâ conniveri, quàm passim hîc fieri videmus: Tamen etiam innata illa mordendi libidine, hoc veterator in præsenti convicio attexuit: videlicet, quòd scelera ista ab Islandis, pro scelere non habeantur. *Nam in quâ demum*

Repub. id impudens ille asserere audet? Illáne; quæ in legem codicis ll. titulo **Manhelge**: *cap. 28. juravit: quæ statuit, ut iterum adulterium qui cum conjuge alterius commiserit, confiscatis suis bonis, capite etiam plectatur? Illáne, quæ pro adulterio, à famulo cum uxore domini commisso, non ita dudum 80. thalerorum mulctam irrogavit? Illáne, quæ eundem, si ad statutum tempus non solverit vel vades dederit, in exilium proscribendum decrevit? Illáne: cujus leges politicæ, quemvis in adulterio cum uxore, à viro legitimè deprehensum, si evaserit, homicidii mulctam expendere jubent? Illáne, cujus itidem leges politicæ, in complexu, matris, filiæ aut sororis, à filio, patre, vel fratre deprehensum, vitam suam dimidio ejus, quod quis, si eundem insontem interfecisset, expendere teneretur, redimere jubent? Illáne, cujus*

leges politicæ, adulterium sceleris infandi nomine notarunt & damnarunt? & in eo, tertiò deprehensum, capite plectendum severè mandant?

Cernis igitur Lector benigne, quàm injurium habeamus notarium, dicentem: Adulterium & scortationes in Islandia peccati aut sceleris nomen non mereri. Nam licet politici quidam hoc vel illud scelus impunitum omittant, non debet tota gens, non leges, non boni & pii omnes, eo nomine in jus vocari, aut malè audire.

SECTIO DECIMA- TERTIA.



Ertium convicium est, quo fraudis et perfidiæ erga Germanos Islandis notam inurit. *Fuit autem proculdubio famosi hujus libelli Author, cerdo &* III. Cõviciũ.

propola circumforaneus, multosq́; Islandiæ angulos, sordidæ mercaturæ gratiâ hostiatim adierat: quod ipse de se in præclaris illis suis rhythmis testatur, maximam Islandiæ partem sibi peragratam esse. *Vnde cum ipse mala fide cum multis egerit (plærumq́; enim fraus & mendacia conjunguntur, & mendacem se fuisse, hac ingenii sui experientia satis probavit) etiam fortè à se deceptorum fraudem est expertus. Hinc illa in totam gentem criminatio extitit: Dissimulato interea, quâ fide quidam Germanorum, quibus annua est navigatio ad Islandos, cum nostris hominibus agant. Eâ autem querelâ, cùm non alios conviciari, sed aliorum in gentem nostram immerita convicia monstrare instituerim, consultò supersedeo.*

SECTIO DECIMA-QVARTA.

Quarto: negat in conviviis quemquam diſcumbentium à menſa ſurgere: Sed matresfamilias ſingulis convivis quoties opus fuerit matellas porrigere. Præterea variam conviviorum edendi bibendiq; ruſticitatem notat. IIII.V. VI. & VII.cõvitia.

5. Cubandi & prandendi ritus objicit: quod decem plus minus in eodem lecto promiſcuè viri cum fœminis pernoctent, inq; lecto cibum capiant: atq; interea ſe non niſi aleæ aut latrunculorum ludo exerceant.

6. Sexto. Calumniatur eoſdem faciem & os urinâ proluere.

7. Septimo. Nuptiarum, ſponſalium, natalitiorum celebritatem & funerum ritus contemptuoſè extenuat.

HÆc & hujusmodi plurima in gentem insontem, imò de se & suis optimè meritam, impurus calumniator evomit. Quæ quidem ejus generis sunt, ut illi de his respondere prorsus dedignemur. Nam ut demus (quod tamen non damus) aliquid hujusmodi apud homines sordidos, & ex ipsa vulgi colluvie infimos, quibuscum longè sæpius, quàm bonis & honestis conversabatur, animadvertisse præclarum hunc notarium Germanicum (vixerat enim, ut ejus rhythmi testantur, diutiusculè in locis maritimis Islandiæ, quò ferè promiscuum vulgus, tempore piscaturæ annuatim confluit, & tam extraneorum nautarum, quam sua nequitiâ corruptum, sæpius inhonestè mores & vitam instituit) Tamen manifestiorem etiam hoc loco injuriam nobis facit, unius nebulonis & desperati Sycophantæ

turpitudine, totam gentem (ut ferè solent etiam alii) aspergendo, quàm ut refutatione ulla indigeat. Cujus rei etiam ipsi extranei in nostra Insula non parum versati, locupletissimi testes esse possunt.

Possem multas ejus farinæ fœditates, rusticitates & obscænitates, etiam in ipsius natione deprehensas colligere. Sed odi facundiam caninam, nec in aliorum opprobrium disertum esse juvat: nec tam tener esse volo, ut verbulis transverberer. Id tantùm viderint boni & pii omnes, cujus sit animi, pessima quæq; ab uno aut altero designata, toti genti objicere. Si quis Germaniæ aut alterius nationis urbes & pagos omnes peragret, & scelera ac mores pessimos, furta, homicidia, parricidia, scortationes, adulteria, incestus, luxuriem, rapinas & reliquas impietates & obscœnitates in u-

num coactas, omnibus Germanis, aut alioqui alteri cuivis toti nationi communes esse asserat, atq; hæc omnia, insigniter mentiendo, exaggeret, isne optimæ rei studiosus habebitur?

Sed quid mirum, licet verbero, & ut propriè notem, porcus impurus, iste, inquam, Rhythmista, naturam & ingenium suum ejusmodi loidoriâ prodiderit?

Notum est enim porcos, cum hortos amænissimos intrarint, nec lilium nec rosas aut flores alioqui pulcerrimos et suavissimos decerpere: Sed rostro in cœnum prono, quicquid est luti & stercoris volutare, vertere & invertere, donec impurissima, hoc est, suo genio apprimè congruentia eruant, ubi demum solidâ voluptate pascuntur:

Ad istum igitur modum hic porcus Rhythmista, optima, & quæ in nostra

Repub. laudabilia esse possunt, sicco pede praeterit, pessima quaeq́, atq́ ea, vel à nullo, vel admodum paucis designata, hoc est, suae naturae, & ingenio aptissima, ut se esse, qui dicitur, re ipsâ probaret, corrasit: unde post hac porci nomen, ex moribus & ingenio ipsius factum, sortitor.

SECTIO DECIMA QVINTA.

Nonum convicium hic recensebimus, quod à victu, ac praecipuè cibo ac potu Islandorum, maledicus ille porcus, non uno aut paucis verbis, sed prolixá invectivá petivit: Nempe quòd cibis utantur vetustis, & insulsis, idq́ sine panis usu; Tum etiam quòd varia & incognita extraneis piscium genera illis sint esui, IX. Cõviciũ.
&

& aquam ac serum lactis, in potum misceant. *Quæ omnia venenatus hic pasquillus disertâ contumeliâ, & ingeniosâ calumniâ, pulchrè amplificavit.*

Cæterum etsi illum prolixiore responsione non dignemur: tamen propter alios, qui hodie hanc rem partim mirantur, partim haud leviter nostræ genti obiciunt, pauca hoc loco addenda videbantur.

Primùm igitur totam hanc gentem bipartitò secabimus: In mendicos, & hos, qui & se & cum aliis etiam mendicos alunt. Mendicorum & eorum qui ad hos proximè accedunt, omnia cibaria recensere aut examinare, haud facilè est, nec quod illos edere, aut edisse, extrema aliquando coëgit necessitas, reliquæ genti cibariorum genera aut numerum præscribere fas est. Nam & de suffocatis quidem non comedendis legem habemus

bemus inter canones, quorum servantissima videri voluit antiquitas.

Deinde etiam tempora distinguemus, ut nihil mirum sit, grassante annonæ sævitiâ multa à multis ad explendam famem adhiberi aut adhibita fuisse, quæ aliàs vix canes pascant. Vt nuperrimè de Parrisiensibus accepimus, Anno 1590. *arctissima Henrici IIII. Navarræi obsidione pressis, & famem Saguntinam, ut P. Lindebergius loquitur, perpessis; eos non modò equinam, sed morticinam quoq; carnem ex mortuorum ossibus, in mortario contusis farinæ pugillo, uno aut altero misto, confectam, in suas dapes convertisse: & de aliis quoq; populis notum est, qui simili urgente inopiâ, etiam murium, felium & canum esu victitarint. Sic etiam Islandis aliquando usu venit (quanquam à caninâ, murium & felium, ut & humanâ carne hactenus,*

nus, nobis quantum constat, abstinuerint) licet non ab hoste obsessis: Nam cùm ad victum necessaria ex terra mariq; petant, & ab extraneis nihil commeatus, aut parùm admodum advehatur, quoties terræ marisq; munera DEVS præcluserit, horrendam annonæ caritatem ingruere & ingruisse, & dirâ fame vexari incolas, necesse est. Vnde fit, ut illos qui in diem vivere soliti fuerint, nec præcedentium annorum superantes commeatus habuerint, extrema tentasse, quoties egestas urserit, sit credibile. Cæterum, utrum hæc res publico & perpetuò opprobrio magis apud Islandos, quàm alias nationes, occasionem meritò præbere debeat, candidis & bonis animis judicandum relinquo.

Porrò quòd de gentis nostræ propriis & consuetis alimentis, multi objicere solent, potissimum de carne, piscibus, butyro, absq; sale inveteratis, Item de lacticiniis, frumenti inopiâ, potu aquæ, &c. & reliquis: id nos in plurimis Islandiæ locis (nam sunt multi quoq; nostratium, qui Danorum & Germanorum more, quantum quidem castis & temperatis animis ad mediocritatem sufficere debet, licet magnâ condimentorum varietate, ut & ipsis Pharmacopoliis, destituimur, mensam instruere & frugaliter vivere sustineant) ita se habere haud multis refragabimur, videlicet prædicta victus genera, passim sine salis condimento usitata esse. Et insuper addemus, hæc ipsa cibaria, quæ extranei quidam vel nominare horrent, ipsos tamen extraneos apud nos, non sine voluptate, manducare solitos.

tos. Nam etsi frumenti aut farris penè nihil vulgò habeamus, nec sal, gulæ irritamentum, ad cibaria condiendã, omnibus suppetit: docuit tamen Deus. opt. max. etiam nostros homines rationem tractandi & conservandi, quæ ad vitam sustentandam spectant, ut appareat, Deum in alendis & sustentandis Islandis non esse ad panem vel salem alligatum. Quòd verò sua omnia extranei jucundiora & salubriora clamant; negamus tamen satis caussæ esse, cur nostra nobis exprobrent: Nec nos DEVM gulæ nostræ debitorem reputamus; quin potius toto pectore gratias agimus, quod sine opiparis illis deliciis & lautitiis, quæ tam jucundæ & salubres putantur, etiam nostræ gentis hominibus, annos & ætatem bonam, tum valetudinem etiam firmissimam, robur ac vires validas: quæ omnia statuimus boni & conveni-

entis

entis alimenti, καὶ τῆς εὐκρασίας *esse indicia, concedere dignetur, cum ingenio etiam non prorsus tam crasso ac sterili, quàm huic nostro aëri et alimentis assignare Philosophi videntur, quod re libentius, quàm verbis multi fortasse nostratium comprobare poterant,*

Ni nos (*ut inquit ille*) paupertas invida deprimeret.

Sed hîc vulgi judicium, ut in aliis sæpè, etiam eos qui sapere volunt (jam omnes bonos & cordatos excipio) nimis apertè decipit: Videlicet hoc ipso, quòd omnia, quæ illorum usus non admittit, aut quæ non viderunt, aut experti sunt antea, continuò damnent. Veluti, si quis, qui mare nunquam vidit, mare mediterraneum esse aliquod, non possit adduci ut credat: Sic illi sensu suæ experientiæ omnia metiuntur, ut nihil sit bonum, nihil conducibile, nisi quo illi soli vivunt: At

profectò nos, eò dementiæ non processimus, ut eos qui locustis vescuntur, quod tum de aliis, tum Æthiopiæ quibusdam populis, ideo (autore Diodoro) acridophagis appellatis, & Indiæ gente, cui Mandrorum nomen Clytharcus & Megastenes dederunt, teste Agatarchide, didicimus; aut ranis, aut cancris marinis, aut squillis gibbis, quæ res hodiè nota est, vulgi propterea ludibriis exponere præsumamus, à quibus tamen eduliis, in totum nostra consuetudo abhorret.

SECTIO DECIMA- SEXTA.

X. Cõviciũ. *Decimo. Hospitalitatem nostris hominibus inhumanissimus porcus objicit.* Marsupium *inquit*, non circumferunt, nec hospitari aut convivari gratis,

gratis, pudor est. Nam si quis aliquid haberet, quod cum aliis communicaret, id faceret sanè in primis ac libenter. *His quoq; annectamus*, quod templa, seu sacras ædiculas domi propriæ à multis Islandorum exstructas velut pudendum quiddam commemorat; quodq; eas primùm omnium de manè oraturi petant, nec à quoquam prius interpellari patiantur. *Hæc ille velut insigne quoddam dedecus in Islandis notavit.*

Scilicet, quia nihil cum Amaricino, sui:
Nec porci divina unquam amarunt:
quod sanè metuo ne nimis verè de hoc conviciatore dicatur, id quod vel ex his ultimis duabus objectionib⁹ constare poterit.

Verùm enimverò, cùm ipse suarum virtutum sit testis locupletissimus, nos Lectorem ejus rei cupidum ad ipsius hoc opus Poëticum remittimus, quod is de Islandiâ composuit, & nos jam aliquot

proximis distinctionibus examinavimus: cujus maledicentiæ & fœditatis nos hîc, pro ipso puduit; ita, ut quæ is Satyricâ, at quid Satyricâ? Sathanicâ, inquam, mordacitate & maledicentiâ in nostram gentem scribere non erubuit, nos tamen referre pigeat: Tanta ejus est & tam abominanda petulantia, tam atrox calumnia. DEVS BONE: Hoc conviciorum plaustrum (paucissima namq; attigimus: Nolui enim laterem lavare, & stulto, ut inquit ille sapientissimus, secundum stulticiam suam respondere, cum in ipsius Rhythmis verbum non sit quod convicio careat) qui viderit, nonne judicabit pasquilli istius autorem hominem fuisse pessimum, imò fecem hominum, tum virtutis ac veritatis contemptorem, sine pietate, sine humanitate?

Sed

Sed hîc meritò dubitaverim, pejusne horum conviciorum autor, de Islandis meritus sit, an verò Typographus ille Ioachimus Leo (& quicunq; sunt alii, qui in suis editionibus, nec suum nec urbis suæ nomen profiteri ausi sunt) qui illa jam bis, si non sæpius, typis suis Hamburgi evulgavit. Hoccine impunè fieri sinitis ô senatus populusq; Hamburgensis? Hanccine statuistis gratiam deberi Islandiæ, quæ urbi vestræ jam plurimos annos, exportatis affatim nostratium quibusvis commodis, pecudum, pecorumq; carnibus, butyro & piscium copiâ quotannis, penè immodicâ, quædam quasi cella penuaria fuit? Sensêre hujus Insulæ commoda etiam Hollandiæ olim & Angliæ urbes aliquot: Præterea Danis, Bremensibus, & Lubecensibus cum Islandis commercia diu fuerunt. Sed à nullis unquam tale encomium, talem gra

tiam reportarunt, qualis hæc est Gregoriana calumnia: In vestrà; vestrà inquam urbe, nata, edita, iterata, si non tertiata: quæ alias nationes, quibus Islandia vix, ac ne vix quidem, nomine tenus, alioqui innotuerat, ad hujus gentis opprobrium & contemptum armavit: quam à cive vestro acceptam injuriam, jam 30. annos, & plus eò, Islandia sustinet. Sed etiam inscio magistratu, ejusmodi multa sæpè fiunt: Neq enim dubitamus, quin viri boni ejusmodi scripta famosa, indignè ferant, & ne edantur, diligenter caveant: cum tales editiones pugnent cum jure naturali: Ne alteri facias, quod tibi factum non velis: Et Cæsareo, de libellis famosis: in quo irrogatur pæna gravissima iis, qui tales libellos componunt, scribunt, proferunt, emi vendive curant, aut non statim repertos discerpunt.

Cæte-

Cæterum jam tandem receptui canamus: Nosq́ ad te, Islandia parens carissima, quam nec paupertas, nec frigora, nec id genus incommoda alia, quamdiu Christo hospitia cupidè & libenter exhibere non desistis, invisam facient, convertamus: Vbi te primùm ad id quod modò diximus, nempè serium & ardens studium ac amorem DEI, & divinæ scientiæ, nobis in Christo patefactæ, totis viribus hortamur: ut uni huic cuncta posthabeas, doctrinæ & verbi cupiditate flagres: Sacrum ministerium & ministros, non parum cures, non contemnas aut odio prosequare: sed reverearis, foveas, ames. Contra facientes, pro impiis & profanis habeas: ut omnia ad pietatis & honestatis præscriptum geras, in vitâ privatâ & communi, ut huic status & ordines Ecclesiastici & Politici, in universum

versum obtemperent: In utroq; vitæ genere, ab illâ amussi seu normâ æqui & boni dependeas, & cæteros qui pertinaciâ ac impietate ab eâ deflectunt, aversaris; quos æquum est pœnis condignis affici; id quod magistratui curæ futurum non diffidimus. In primis verò nullos nisi spectatæ fidei et probitatis viros, quiq; ad istas virtutes, reliquas huc pertinentes conjungant, ad gubernacula admittas, quâ ratione reliquis incommodis ritè occurritur. Res ista enim, si probè curetur, ut videlicet, qui munus publicum gerunt, ex bonis omnibus optimi quiq; deligantur, improbi & huic rei inepti, procul inde arceantur; subditorum conditio, longè erit optatissima: vita & mores, tantò magis laudabiles sequentur: pietas & honestas tantò erunt illustriores. At verò si secus fiat, si Pastores Ecclesiarum, suo muneri, vel vitâ vel do-

ctri-

ctrinā non respondeant, si ad administrationem politicā promiscuè admittantur, quicunq́ eò propriâ levitate, ambitione, vel avaritiâ & contentione honoris, ruunt: si iidem criminum aut improbitatis, vel suspecti vel convicti sint, aut suspectorum & convictorum protectores, vel iisdem illicitè indulgentes; quis tuus quæso demum futurus est status? quæ facies? quæ conditio? Certè longè omnium miserrima. Nec enim alio pacto citius ad ruinam & interitum tuum appropinquabis, quàm si istis te regendam commiseris, qui quod in iis est, licet sint et ipsi ex tuis, jugulū tuum, propter emolumenta priuata, et odia latentia, quotidiè petere contendunt. Quamobrem (ne ista pluribus agā) quanti intersit, ut hæc probè curentur, facilè, ô Patria, intelligis.

Sed dum hæc tuis auribus à me occinuntur, utinam gemitus meos altissimos,

mos, qui sub hac ad te Apostrophe latent, Serenissimæ Regiæ Majestatis aures exaudiant, apud quam ego, pro te ita deploro damna publica, quæ eâ de causâ exoriuntur maximè, quòd patria nostra à regiâ sede, & conspectu, tantò intervallo sit remota, ut multi propterea tantò sibi majorem sumant licentiam, & impunitatem securius promittant. Cæterum ista numini justissimo, quod æquis omnia oculis aspicit, committenda ducimus.

Reliquum est, ô patria, ut studium in te nostrum, eo quo speramus animo, comi et benigno, suscipias: quod quamvis minimè tale est, quale optaremus, tamen cùm VELLE, SIT INSTAR OMNIVM, *nolui idcirco desistere, quòd pro tuo nomine, tuâ dignitate, tuâ innocentiâ pugnare me satis strennuè diffiderem. Quin potius, quicquid*

quid id eſt (ſi modò quicquam eſt) & quantulumcunq; tandem, quod ad tui patrocinium, pro meâ tenui parte afferre poſſem, nequaquam ſupprimendum putavi, nec enim illos laudare ſoleo,

Qui, quòd deſperent invicti membra Glyconis,
Nodoſâ nolunt corpus prohibere Chiragrâ.

Me ſanè, ſi hæc commentatiuncula, non erit tibi, aut mihi dedecori, operæ nequaquam pænitebit. Quòd ſi ad laudem vel aliquale patrocinium tui, aliquid faciat, operam perdidiſſe haud videbor. Sin verò alios alumnos tuos, meos conterraneos, arte & induſtriâ ſuperiores ad cauſam tuam, vel nunc, vel in poſterum ſuſcipiendam, hoc conatu tenello excitavero, quid eſt cur operæ precium non feciſſe dicar? quibus

ſcri-

ſcribentibus, licet mea fama in obſcuro futura eſt, tamen præſtantiâ illorum qui nomini officient meo, me conſolabor: Nam etſi famæ & nominis cura ſumma eſſe debet, major tamen patriæ; cujus dignitate ſalvâ & incolumni, nos quoq́ ſalvos & incolumes reputabimus:

Scripſi
Holis Hialtædalenſium in Islandiâ,
Æræ Chriſtianæ Anno M. D. XCII.
XVII. Kalendas Majas.



EPIGRAMMA
AD ARNGRIMUM IONAM
conterraneum suavissimum.

QVos tandẽ stimulos movere dicam,
Quas, nostrũ genus incitare, causas:
Ut nullum pigeat sacro parentum
Natalisq; soli, subire amore
Discrimen, mala nulla, nulla damna,
Iras, probrave, lividumve dentem?
Non casus valet hîc, opinióve:
Hæc sed jura Deum ratasq; leges
Cum vitalibus indidisse primùm
Auris mentibus autumamus, atq;
Has tam dulcibus imbuisse flammis;
Illi semina quando contulerunt
Nostris artubus; hoc suis eosdem
Dum gestat, fovet utq; fert in ulnis.
Nam quis munera tanta non reapse
Condignis meritis remuneretur,
Si pravusve levisve forte quisquam
Majores, patriæ locumq; lædat
Ni cautes siliceq; corde gestet,

Et

Et mentem valido gelu rigentem?
Hinc pars magna virûm micante ferro,
Pars linguâ calamoq; pro salute
Nativiq; soli & domus paternæ
Depugnare datâ sategit ansâ.
Quos dum consimili æmulare curâ
Defendens patriam tuam, tuosq;,
Fama Arngrime soli decusq; nostri,
Facis rem pietate teq; dignam,
Et nomen tibi comparas honestum.
Ergo Islandia nostra nunc alumno
Gestit, cujus opem labore summam
Persentit: caput exseritq; tandem
Probrorum ex pelago et mari malorum:
Et gens tota favet, suas, ovatq;
Te partes obiisse ritè primùm.

F. Sigvardus Stephanus
Islandus.

ALIUD:

Patria authorem alloquitur.

NOn opes tanti facio superbas
Tantali: non quod tulit illa qvondam

Aure

Aureum vellus rutilante formâ
Phocide raptum:
Non odoratas Arabis remoti
Plurimùm merces, neqꝫ decoloris
Indiæ gemmas: nitidi neqꝫ auri
Pondera tanti:
Hos tuos quànti vigiles labores
Arngrime ô noſtri ſtudioſe, doctâ
Qui feros morſus hominum cöerces,
Arte, malorum:
Cræſiis nam quantũ opibus ſuperſtes
Fama & immortale, celebre, clarum
Nomen & virtute diu paratum
Præſtat ubiqꝫ:
Hoc tuum tantùm ſtudium tenaxqꝫ
Cura, fortunæ ſuperat caduca
Dona, dum longæ mea conſecraſti
Nomina famæ:
Nunc tuis ergo officiis alumne
Dulcis, ô plebis patriæ decusqꝫ,
Debitum exultans referam per omne
Tempus honorem:

F.
Gudmundus Enerus
Iſlandus.

Sphalmata graphica, benignus Lector sic restituat. A, anteriorem, B, posteriorem folii partem notat.

Fol. 16. b. lin. 1. legatur: quæ fidem &c. *fol. 24. b. lin. 3.* tumulo. *fol. 39. b. lin. 18* exonerat. *lin. 19.* tenuiores. *fol. 46. a. lin. 12.* Steiin. *fol. 50. b. lin. 10.* immortalitatis. *fol. 61. b. lin. ult. post vocem* Cathedram, *tolle punctum. fol. 72. a. lin. 17.* Dan. 4. v. 30. *fol. 77. b. lin. 10. ante vocem* accusat, *tolle colon, post substitue semicolon. fol. 83. b. lin. 19.* liberi. *Hæc, & si quæ erunt similia, quilibet benignè animadvertere et emendare velit.*

HAFNIÆ
Impreßit Iohannes Stockelmannus.
1593.